

# SCHOLAE

SEMESTRES,

IN

CAESAREA UNIVERSITATE  
LITTERARIA,

QUAE DORPATI CONSTITUTA EST,

A D. XVI. IAN. ANNI MDCCCXXIV.

HABENDAE,

INDICUNTUR

A

RECTORE ET SENATU ACADEMICO.

INEST

CAROLI MORGENSTERNII

COMMENTATIO

*DE NUMISMATE BASILII TSCHERNIGOVIAE NUPER EFFOSSO.*

PARS I. II.

DORPATI,

EX OFFICINA ACADEMICA I. C. SCHÜNMANNI.

---

CAROLI MORGENSTERNII  
DE NUMISMATE BASILII TSCHERNIGOVIAE NU-  
PER EFFOSSO

COMMENTATIO.

PROOEMIUM.

Anni c1o10cccxxi. mense Maio Tschernigoviae, vel potius prope Tschernigoviam in agro, erutum est ingens numisma aureum cum duplici ansula perforata, unde in torque e collo suspensum id gestatum olim esse a) veri simillimum videatur. Hoc *κειμήλιον* post varios casus augusto Russorum Imperatori, patri patriae, oblatum nunc inter Numophylacii Caesarei Petropolitani copias, nuper multis et magnis accessionibus locupletatas, servari accepimus. Numisma ipsum, quandoquidem ex illo tempore Petropolin revisere non potui, videre nondum mihi contigit. Exeunte vero iam anno c1o10cccxxi. traditum mihi est ectypum stanneum illius numismatis memorialis, transmissum a Viro plurimum reverendo atque eminentissimo, quem inter primarios suos antistites universus imperii Russici clerus pie veneratur. Tanti Viri, qui meam de novo *ἐρμαίω* sententiam qualemcunque proponi vellet, movit auctoritas, ut de eiusmodi monumento vetusto, de quo penes ipsum aliosque antiquitatis Russicae peritos certius esse arbitrium merito existimarem, meam expromere auderem opinionem, qua etsi minime omnes, haud leves tamen rei difficultates tollerentur, quibus sublatis spes aliqua ostendatur fore, ut reliquae posthac dispellantur.

#### IV

Primum igitur (Parte I.) exponam, quae statim post acceptum numismatis ectypum, exeunte anno c1010cccxxi., quum primum illud manu versarem, spectanti atque exploranti in mentem venerunt. Tum (Parte II. III.) de aliorum quibusdam placitis, quae deinde innotuerunt, quid mihi videatur, addam, iunctis variis observationibus, quae a proposita quaestione haud iudicentur alienae.

### E P I M E T R U M

#### DE TORQUIBUS, DE GRIVNA ET DE NUMIS CUM ANNULIS ALIISVE PARERGIS;

ad a).

Torques apud veteres quoque Russos in usu fuisse constat: neque, voci гривна inter alias significationes in Bibliorum versione Slavonica obvias torquis esse, negatur ne ab iis quidem, qui morem numorum in torque gestandorum in veteri Russia certis probari documentis cauti negant, ut MICH. KATSCHENOVSKIUS V. C., Professor Mosquensis, in dissertatione inserta commentariis Mosquae 1822 Russice editis, qui inscribuntur Nuntius Europaeus (Вѣстникъ Европы, Part. CXXII. p. 285—289. CXXIII. p. 45—51. 118—123. CXXV. p. 181—195). De Grivna, ut honoris pignore in veteri Russia, huiusque moris et antiquitate et natura disputationem gentis Russicae Eruditis relinquere malo. Tria tantum liceat monere. Primum, inter heroas ex Vladimiri I. aetate fama populari celebratur Alexander cum torque aurea, memoratus quoque KARAMSINO (Hist. Imp. Russ., Russice scripta ed. II. T. I. p. 232: Александръ съ золотою гривною). Illius quidem cognomen Russicum si vertere liceret, ut vertit interpres Karamsini Italicus, IO. ANT. MOSCHINIUS (Venet. 1820 T. I. p. 305): „Alessandro dalla medaglia d'oro“, res esset confecta. At veremur, ne obiiciatur sic interpretanti, quod Logici vocant petitionem principii: ita ut circumspiciens omnino verterit HAUENSCHILDUS vers. Germ. T. I. p. 183: „Alexander mit der goldenen Ehrenkette“. Alterum est, quod a NESTORE ad a. 1015 narratur de Georgio quodam, quem pius Boris, Suiatopolci fratris scelere trucidatus, ministrum fidelem necisque suae habuerit comitem. Huic Georgio, Nestor refert, magnam Grivnam auream a domino fuisse circa collum appensam, quam quum sicarii non statim possent abripere, capite hominis abscisso ea Grivna fuisse potitos. Quem Nestoris locum IO. BENED. SCHERERUS p. 118 ita reddidit, ut idem animadverti possit in eum, quod dixi de Karamsini interprete Italico: „Boris liebete ihn sehr, und hatte ihm eine goldene Medaille um den Hals gehangen, in welcher er ihm aufwartete. Man tödtete auch viele andere Bedienten des Boris, weil man aber

Georgen nicht so geschwind dieses Ehrenzeichen abnehmen konnte, so hieb man ihm den Kopf ab, und so nahm man ihm die Medaille weg.“ Gravioris igitur momenti est tertium, quod in iisdem Annalibus ad a. 1147 (Schereri vers. Germ. p. 196) legitur de Michaelē, qui vellet mortis periculo eripere Igorem, filium Olegi, Principis Tschernigoviae, a Kioviensibus hunc vapulasse, crucemque simul ei abreptam esse et torquem et aurei numi decus („Michaelen gaben sie auch Stöße, und rissen ihm darüber das Kreuz, die Ketten und den goldenen Ehrenpfennig ab“. Quodsi ita scripsit Nestor, ut legitur in God. Regiomontano, ex quo facta est editio Petropolitana, quam vertit Schererus, de numo in torque gestato non posset dubitari. In illa enim editione p. 204 legitur: крестъ и чени и гривну златую. Sic legitur etiam in Chron. NICONIS Part. II. p. 101, et in Hist. TATITSHEVII T. II. p. 312. At ne ego quidem ignoro, in Codice Vosresensk. edito ab Acad. Sc. Petropol. a. 1795. T. I. p. 296, nihil amplius reperiri quam verba: крестъ и чени золотъ. In Chronico autem Kioviensi anecdoto, quod laudat KARAMSIN. Hist. Russice scripta T. II. p. 184. not. 308, dictum est, a populo vapulasse Michaelē, atque huic illum eripuisse crucem et torquem, крестъ, и цѣпи въ гривну золота. Praepositio Russica significare potest, vel hanc torquem Grivnae habuisse pondus, vel Grivnae constituisse pretio.

Ex erudito IO. SCHEFFERI de antiquorum torquibus syntagmate, quod insertum est GRAEVII Thesauro Antiquitatum Romanarum, Vol. XII. p. 900—947, intelligitur, quam late diffunderetur apud antiquos populos torquium usus, ita ut ipse dicat p. 945, non esse ornamentum aliud, in cuius usum tot simul conspirarent gentes. Demonstrat eum in Aegyptiis, Chaldaeis, Hebraeis, Persis et Medis, Arabibus, Armeniis, Parthis. Parthis proximos esse Scythas, ex quibus Gothi, inquit (l. c.). In his torquium usum narrari a Saxone, atque firmari imaginibus in numis. A Gothis venisse ad Danos. Iunctos esse his Germanos. Gallorum fere proprium hoc fuisse gestamen. De Britannis observatum esse ex Strabone. De Romanis ambigi non posse. De solis Graecis nihil eiusmodi observari. Quin imo barbarum gestamen vocari, odio fortasse Persarum Graecis semper imminentium. Nam reliquas omnes fere in Oriente gentes habuisse. De torquibus apud gentes orientales usurpatis passim quaedam leguntur etiam in III. KÖHLERI opere quod inscribitur: „Etwas zur Beantwortung der Frage: Gab es bei den Alten Belohnungen des Verdienstes um den Staat, welche den Ritterorden neuer Zeiten ähnlich waren?“ Ubi vide lib. II: „Gnadenzeichen im Morgenlande“, in Sylloge: Dörptische Beyträge etc. Tom. I. p. 289—316.


De torquium apud Russos usu apud Schefferum quidem nihil occurrit; spero tamen fore, ut spicilegium haud exiguum nobis detur eorum, quae attinent Grivnas illas veteres. Quid? si torquium a Principibus eorumque ministris primariis gestandorum morem in Russiam sub ipsa imperii Russici primordia per Variaegos ex septentrione, ubi apud Gothos et Danos torquium usus omnino obtineret, esse introductum coniectare ausim?

Schefferus de Romanis (syntagmate laudato cap. V. p. 921 E.) „Antiquioribus temporibus“, inquit, „nil eorum torquibus appensum puto: ante pauca demum saecula institutum, cruces, fascias, divorum imagines, et id genus appendere“. Ab eo igitur ne quaesitum quidem exspectabis, an in torquibus apud antiquos suspensi usquam memorentur numi. Occur-

## VI

runt tamen aurei insignis voluminis, qui, ut ECKHELII verbis utar (Doctr. Numor. vet. Vol. I. Prolegg. p. LXVIII) in amplum orbem, eumque varie ornatum porriguntur, addito superne annulo, ex quo suspendi possent. Huius generis, inquit, duo cogniti, unus Honorii, alter Gallae Placidiae, ineunte saeculo XVIII. in Geldria effossi, quos pictos et descriptos habes in Epistolis criticis CUPERI p. 178, qui eos vidit ipse, tum et in Saggi di Cortona Tom. IV. p. 235, quo loco BIANCHINUS de eorum vetere usu prolixè disserit, coniecitque, id genus cimelia ad militum donativa valuisse (quod Cuperum iam sensisse vidi, Bianchinium autem p. 240, 241 plura afferre exempla numorum aureorum cum orbe amplo et annulo, inde a Domitiano sibi observata). „Parum equidem“, Eckhelius ait, „arbitrarias has coniecturas moror, cum, quia multiplex eorum esse usus poterat, tum quia causà annexi annuli inter torques potius, quam numos referendi sunt. Alios similes vide aeri incisos in Catalogo d'ENNERY pag. 187.“ Ennerii quidem Catalogum conferre non potui, Gisberti Cuperi et Francisci Bianchini dissertationes perlegi, ab Eckhelio non dissentiens, hoc unum monens, annexis annulis numos non ita suam mutare naturam, ut ad numos minus pertineant, quam ad torques. Ceterum miror, quod duobus praegrandibus numis aureis supra laudatis Eckhelius non addidit tertium ipsi cognitum Tetrici, quem ex museo regis Galliarum edidit BOZEUS (de Boze) in commentariis Academiae Inscr. (Mem. de l'Acad. R. des Inscr. et B. L. T. XXVI. p. 504) duobus instructum annellis. Novissimum exemplum numorum aureorum ansulis aureis ferruminando adiunctis instructorum, dum haec describebantur, nobis innotuit quinque illorum, qui a. 1823 in dioecesi Munsumensi e terra Wursteni Ducatus Bremensis, ubi olim habitarent Saxones vel potius Frisones, eruti sunt, quorum unus capite Imp. Valentiniani I. (regn. 364—375), unus Valentiniani III. (regn. 425—455) insignitus est, unus Leonis I., (regn. 457—474) duo Anastasii I. (regn. 491—518) imaginem referunt. Simul inventus est grandis annulus aureus perquam rudi artificio fabricatus, qui pro barbaro mouili insolitae formae habetur cel. TYCHSENO, qui *ἔργατοῦ*, munificentia regia in Museum academicum Göttingense illati accuratam dedit notitiam (Götting. Gel. Anz. 1823, no. 201, 202), additis coniecturis docte excogitatis.

De quibusdam numis aeneis, circulo diversi aeris dextre et accurate inclusis, quales ante Commodum reperti non sunt, de quibus conf. Eckhel. l. c. p. LXVII, LXVIII, MILLINUS (Dictionnaire des Beaux-Arts, Tom. II. p. 422) recte dicere mihi videtur, ex hac singulari eorum proprietate elucere consilium eos discernendi a commercio; itaque censet, eos ornamento adhibitos fuisse signis militaribus, aut ansulis suspensos, aut in foraminibus per medios factis fixos, aut per intervalla insertos. De huiusmodi numis quum iam quaestio non sit, hos verbo memorasse satis erat, ne intactum relinqueretur, quodcumque huic haberetur generi affine.



## P A R S P R I M A.

### I.

*Descriptio numismatis. Typus et epigraphe anticae.*

In parte antica ingentis numismatis formae maximae <sup>1)</sup> medium occupat S. Michaël, Archangelus, stans longis alis, brevi quidem statura, indutus Dalmatica magnifica oblique cincta, dextra tenens labarum, sinistra globum, cui non imposita quidem est crux, qui tamen crucis figura in superficie sua est insignitus. Caput Archangeli est nimbatum, utpote splendente illo Sanctorum clipeo rotundo cinctum. Ipsum esse Michaëlem, in area testantur litterae Russicae ab utroque eius latere positae sic: М <sup>Х</sup> Л. <sup>Н</sup> <sub>б</sub>. Ambit eum, lineis in orbem ductis circumdata, inscriptio Graeca, inter quam crux est supra caput Michaëlis huiusmodi: †ΑΓΙΟCΑΓΙΟCΑΓΙΟCΚCΑΒΑΘΘΠΛΙΡΙC-ΟCΡΑΝΟCΚΙΓΙ (ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος κύριος Σαβαώθ· πλήρης ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ) <sup>2)</sup>. Verba sunt *IESAIAE* VI.3, paucis in fine mutatis. Conf. *Apocal.* IV. 8—11.

1) In numerum scala, qualis est apud *ΜΙΟΝΕΤΥΜ* (*Description de Médailles antiques, Gr. et Rom.* Recueil des planches) numisma nostrum est magnitudinis 18. Magnitudinis gradus ibi omnino esse 19, sciunt qui talia tractant. Pondus auri huius metallionis esse narrant XIV semunciarum (ex Russica computandi ratione LVI *Zolotnik*), quanquam ab aliis pondus paullo minus traditur: qua de re fides sit penes auctores. *Zolotnik* quid sit, discant tirores ex egregio *ΚΡΥΕΙ* libro (*Zur Münzkunde Russlands*, St. Petersburg. 1805) pag. 129—138.

2) Formam parvam litterae I in voce ΑΓΙΟC in numismate nostro sub formam litterae Γ reductam habes, ut eadem est sub litteram Π reducta in voce ΑΙΚΑΤ:Π:Ν, qualis apparet in tabella Graecanica in monasterio S. Genovefae Parisiis asservata, in qua Graeci effixerunt S. Stephanum, S. Theclam et S. Aecaterinam. Aeri incisa exhibetur tabella in *ΔΥCΑΝΘΕΙ* *Constantinopoli Christiana* lib. IV, pag. 95 ed. Ven. — In numo est ΠΛΙΡΙC, non vero „ΠΛΙΡ. CΟΧVαΚΟC (πλήρης σου οὐρανός)“, ut legitur in notitia litteraria, quam dedit *ΤΥCΗCΕΝΥC*, Vir eruditissimus, in *Ephemerid. Gotting.* (*Götting. gel. Anz.* 1822, St. 204) ex ectypis duobus numismatis, quorum alterum Petropoli Gottingam misisset *ΚΟΒΗΛΕΡΥC*, artis antiquae vindex acerrimus, alterum Dorpatō ego.

## VIII

Observanda mendosa scriptura ΠΑΙΡΙC, ΚΙΤΙ, ΣΑΒΑΟΘ. In huius vocis littera R pro B fingenda nonnisi manus scalpentis lapsa videatur: certe in Basilii nomine Slavonice scripto littera B solito more exarata. Marginem numi late ambiunt orbe ornamenta ita implicata, ut plurima angelorum capita alata ordine alternis excipiantur ab arbusculis. Nam capita angelorum alata, etsi in figurarum parvitate obscurius significata, agnoscere mihi videbar, vel hac in re ad laudatum Iesariae locum aptam reperiens allusionem, ubi diserte memorantur angeli superioris ordinis (Seraphim), sibi accinentes illud: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth* rel.

## II.

### *Typus aversae.*

In parte numi aversa late expanditur monstrum ita, ut orbiculatus fere ambitus, et quidem maior quam in antica parte medius ille, eleganter prodeat, etsi haud, ut istic, linea circulari circumscriptus. E capite humano, quod capillis, ut in S. Michaële, a vertice divisus ornatur, utrinque insurgunt serpentum corpora squamosa capitibus suis sibi oppositis superne utrinque impendentia, quibus implicantur duo alii serpentes capitibus suis ori humano admoti. Monstri corpus breve, quo pectus dignoscitur, quod mammam nonnulli, sine causa tamen idonea, ut mihi quidem videtur, esse putant, in ventre utrinque exit in serpentes ita implicatos, ut inferne capita supina sibi opponantur, superne, iterum ex ordine, bina capita sursum tollantur. Humerorum brachiorumque loco serpentorum capitum par afflictum protenditur monstro, decem omnino serpentum varie conversorum capitibus hiantibus horrenti. Sed omni descriptioni, in eiusmodi rebus difficili, praestat conspecta figura. Quam qui non solum conspexerit, sed paullo accuratius examinaverit, caput *Medusae* esse negabit. Quanquam haec erat eorum opinio, qui primum mecum numismatis ectypum communicaverunt, eaque ipsa litteris consignata legitur et quodam modo commendatur in notitia numismatis, quam primam, ut audio, dedit *ANASTASIADIS* (*Anastasevitsch*), Vir Illustris. <sup>3)</sup>

<sup>3)</sup> Confer commentarios menstros Отечественныя записки, editore SPINKIN, Tom. VIII. Fascic. XX. Rem in brevius contractam reddidit auctor in commentariis mensuris Соревнователь просвѣщенія и благошворенія 1822, Fascic. III. pag. 341—349. Idem fere, epistolari quidem forma, singulari libello, Russice scripto, auctor prodidit Petropoli, mense Decembri 1822, 22 pag. octonis.

## III.

*Epigraphæ aversae Slavonica interior, Basilii.*

Hanc figuram, quam mox explicabimus, orbe ambit litteris luculentis inscriptio Slavonica seu Ruthenica antiquior, qualis in S. Bibliis librisque ecclesiasticis adhibetur, si compendium scripturae in prima voce et duas litterarum formas in reliquis excipias, perfacilis lectu: ГН ПОМОЗН ПАЛОУ СВОИEMS БА-  
 ЧЛАНГѢ АМНН. Hoc esse constat: *Domine, auxiliare servo tuo, Basilio. Amen.* Primum inscriptionis verbum et extremum cruce interposita dirimitur et quasi interpungitur.

Ex his igitur eruendum id, de quo ex antica sola statui nihil potest, ad quemnam numi aut origo aut usus aut utrumque referendum sit. Inscriptio Slavonica seu Ruthenica magni numismatis gravi pondere aurei ex agro Ruthenico effossi, characteribus valde antiquis exarata <sup>4)</sup>, sponte ducit ad Principem, qui vel in Russiae parte aliqua, vel in Russia universa ante plura imperaverit saecula. At quemnam?

*Basilii* nomen quum pro eodem vulgo habeatur <sup>5)</sup> apud Christianos, quod *Vladimiri* est apud Slavos Christiana Religione nondum imbutos, de Vladimiro primum quaerendum esse patet. At quemnam dicemus Vladimirim?

## IV.

*Epigraphæ aversae exterior. An Graeca.*

Tertiam paullisper inspiciamus inscriptionem, quae summum aversae marginem latissime ambit. Utrum Graeca est an Slavonica? In magna illa antiquorum characterum Graecorum et Slavonicorum similitudine, qualem

4) De horum characterum antiquitate in singulis plura erudite iam observavit *KATSCHENORSKIUS* l. c., quocum de Graecanica et inscriptionis et numi origine quatenus quibusque equidem de causis consentiam, mox patebit. Illud tamen, quod vult, haud demonstrasse mihi videtur, characterum Slavonicorum in numo aetatem infra saeculi IX. dimidium alterum descendere non posse. Neque, antequam Palaeographiae Russicae omninoque Slavonicae per saecula accurate descriptae certisque documentis superstructae doctrinam coniuncta doctissimorum virorum opera fuerimus adepti, cuiusquam auctoritati fidem tali in re denegari piaculum erit.

5) Idem plane non esse videtur, sed rem ita se habere: quum *Vladimirus M.* Religionem Christianam amplecteretur a Graecis sibi traditam, dum *Basilus II.* iis imperaret, huius maxime nomen sortitus est, plane ut ante *Bogoris*, Bulgarorum rex, *Michaëlis* nomen adscivit, quia Christo nomen dedit *Michaële III.* Graecis imperante, qui baptismi peracti sponsor perhiberetur atque arbiter. Atque ex illo iam tempore, puto, *Vladimiri* et *Basilii* nomina fere sunt confusa, etsi proprie diversa.

vetusti etiam codices commonstrant <sup>6)</sup>, id primo quidem obtutu haud facile erat dictu. Hanc tamen epigraphen Graecam esse non dubitamus, etsi singula legere, nedum explicare, ne nobis quidem adhuc contigerit, non magis, quam aliis pluribus, quos tum in Russia, tum exteris in terris huic operae insudavisse fert fama. Integras certe agnoscimus voces Graecas, ut ΔΡΑΚΟΝ (δράκων, *draco*); ΑΡΝΙΟ, vel potius, adsumpta littera sequente, ΑΡΝΙΟΥ (ἀρνίου, *agnelli, agni*). Nam de hac saltem voce ut Graeca ambigere nullo modo possis, etiamsi in voce ΔΡΑΚΟΝ relinquatur effugium, eam esse Slavonicam, quum Slavonice etiam dicatur ДРАКОНЬ. Adsunt vero etiam alia, unde Graeca, etsi non certo, quia, quomodo singulae litterae ad singula vocabula referendae sint, nondum constat, probabiliter tamen componas, ut ΕΝΙΟΙC (ἐνίοις, *nonnullis*); ΙΝΑ (*ινα, ut, ubi, quando*); ΟC (*os vel es vel ós*, aut terminatio vocis antecedentibus litteris incipientis, aut Pronomen, aut Coniunctio: nam, O et Ω non distingui in numo nostro, anticae vocabulum CΑΒΑΟΘ docet, ubi esse debebat CΑΒΑΩΘ). De aliis quibusdam coniecturas saltem posthac proponemus.

## V.

*Quo ex fonte exterioris inscriptionis explicatio haurienda videatur.*

Quorsum vero obscurioris huius inscriptionis sententiam referemus? Draco et agnus quidem, diserte nominati, eodem statim ducebant, quo monstri figura, et quo Michaël Archangelus in antica. Monstrum hocce repraesentat Satanam, Michaël Archangelus Satanae victorem. Quem Raphaël Sanctius et Guido Renius in singulis tabulis, divino ingenio alter, insigni arte uterque, pictum nobis admirantibus obtulerunt Michaëlem Diaboli debellatorem, eum figurae numi nostri iam nobis exhibebant utraque parte coniunctae. Unde petitur?

Nempe ex *Apocalypseos* cap. XII. 7—12. Ipsa verba apposuisse iuvabit. Καὶ ἐγένετο πόλεμος ἐν τῷ οὐρανῷ· ὁ Μιχαήλ καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ τοῦ πολεμῆσαι μετὰ τοῦ δράκοντος, καὶ ὁ δράκων ἐπολέμησε καὶ οἱ ἄγγελοι

6) Veteres codices mss. Slavonicos Graecis tam esse similes, vere monet Krügerus (*Zur Münzkunde Russl.* p. 99, not. x), ut v. c. in ΜΟΝΤΡΕΑΛΟΝΙΙ *Palaeographia Graeca* codicum mss. saeculi IX., praesertim illorum litteris uncialibus scriptorum p. 232 et 234, specimina obiter inspicienti pro Slavonicis fere possint haberi.

## XI

αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἴσχυσαν, οὔτε τόπος εὐρέθη αὐτῶν ἔτι ἐν τῷ οὐρανῷ. Καὶ ἐβλήθη ὁ δράκων ὁ μέγας, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, ὁ καλούμενος διάβολος, καὶ ὁ σατανᾶς, ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην, ἐβλήθη εἰς τὴν γῆν, καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ ἐβλήθησαν. Καὶ ἤκουσα φωνὴν μεγάλην ἐν τῷ οὐρανῷ, λέγουσαν Ἄρτι ἐγένετο ἡ σωτηρία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ ἡ ἐξουσία τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ! ὅτι κατεβλήθη ὁ κατήγαρ τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν, ὁ κατηγορῶν αὐτῶν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἡμέρας καὶ νυκτός· καὶ αὐτοὶ ἐνίκησαν αὐτὸν διὰ τὸ αἷμα τοῦ ἀρνίου, καὶ διὰ τὸν λόγον τῆς μαρτυρίας αὐτῶν, καὶ οὐκ ἠγάπησαν τὴν ψυχὴν αὐτῶν ἄχρι θανάτου. Διὰ τοῦτο εὐφραίνεσθε οἱ οὐρανοὶ καὶ οἱ ἐν αὐτοῖς σκηνοῦντες! κ. τ. λ.

## VI.

*Numismatis explicatio tentatur.*

Reperto igitur per me hoc typorum quasi fonte atque origine, sine haesitatione iudicabam, in numismate nostro praedicari ac celebrari *Christianismi de idololatria victoriam sub Vladimiro I. in Russia partam.* <sup>7)</sup>

Hoc si sumatur, concinunt in numo egregie omnia et conspirant, neque aptius vix poterat inveniri imaginum symbolorumque genus ex fonte haustum uberiore. Nam in *Apocalypsi IOANNIS* constat neque Chiliasmī somnia quaerenda esse, neque vaticinia, quibus vates in tempora longinquiora prospiciens praecipuos Religionis Christianae casus vel secundos vel adversos inde a discessu Iesu Christi e terris usque ad eius reditum ad saeculorum finem praedixerit; sed potius illud, et quidem ad antiquorum Prophetarum Hebraicorum exempla felici audacia expressum, praeclaro opere enuntiatum esse, rem Christianam profligato et Iudaismo et Gentilismo fore victricem. Quod si, tanquam primarium Apocalypseos argumentum, ad quod illustrandum totius partes omnes consonent, *EICHHORNII* maxime studiis ad liquidum perductum esse ultro fatemur, negari tamen non posse videtur, Satanam cum reliquis Christi hostibus gloriose oppugnatum in Apocalypsi tot locis

<sup>7)</sup> Hanc sententiam me tulisse statim post acceptum ectypum, anno 1821 exeunte, eius rei testes laudantur amici, quibuscum ectypum, coram in id commentatus, communicavi, *GUSTAVUS EWERS*, Universitatis literariae Dorpatensis h. t. Rector magnif., *ERDMANNUS*, nuper apud nos Medicinae Professor, iam Regis Saxonum Archiater, et *PEREPOSTSCHIKOFF.*, Ling. et Litt. Russ. Professor Dorpatensis. Quod monui, si quis forte me inscio interea in simile quid inciderit, aut aliis aut eiusmodi rationibus, ut iam litteris consignatas protuli, inductus.

tam aperte exhiberi, ut hoc certe locis singulis ne veteres quidem ante multa saecula ullo modo potuerit effugere interpretes. <sup>8)</sup>

Iam nostro in numismate aptissimè comparet S. Michaël Archangelus idemque Archistrategus cum inscriptione illa ex divino vate *IESAIA* petita, una cum plurimis angelorum, qui Dei laudes celebraverint, capitibus alatis in numi margine, ut vidimus, circumpositis, in aversa vero parte hostis, quem gloriosissime Michaël debellaverit, Satanas <sup>9)</sup> sub monstri draconis, qualem tum laudatus Apocalypseos locus, tum alii eiusdem libri loci <sup>10)</sup> exhibent, figurâ, pluribus ceu hydra illa Lernaea, capitibus minantis. Michaël enim nostro etiam Apocalypseos loco coelesti agmini praefectus est, qui gentis Iudaicae curam et tutelam iam olim suscepisse credebatur <sup>11)</sup>, cuius et *Magnus Princeps* idemque patronus appellatur *DAN.* X. 13. 21. XII. 1. Capite et trunco humano cum decem illis serpentum capitibus corporibusque mire composito et complicato artifex unitatis in monstro notionem, quae sine illis minus clare apparuisset, non male adiuvisse mihi videtur ad ipsius Diaboli tortuoso ingenio nocendi et decipiendi cupidissimi speciem obtuenti repraesentandam: ut audiendum esse negem ac pernegem, si quis Christi ipsius caput, loco sane alienissimo intrusum, videre sibi persuaserit. Satis diserte vel sic omnia loquuntur. <sup>12)</sup> Haud scio an argutari quibusdam videar,

8) Nec vereor, ne quis mihi obiiciat, in Graeca Ecclesia Apocalypsin, licet *CLEMENTIS ALEXANDRINI*, *ORIGENIS* et *HIPPOLYTI* suffragiis comprobata, haud, ut in Latina inde ab *HIERONYMI* temporibus factum est, in librorum *canonicorum* numerum esse relata. Nam etiamsi hoc opus in Ecclesia Graeca nunquam apud omnes canonici libri auctoritate valuisse concedatur, apud nonnullos tamen hac valuit vel in illa (conf. *GREGOR. NAZIANZ.* Opp. T. II. p. 194, 195 ed. Colon. 1690, fol.). Nec, ut is, quem volumus, loci cuiusdam Apocalypseos in imperio Graecae Ecclesiae addicto fieret usus, necesse erat, ut canonicis Bibliorum libris adnumeraretur ab omnibus.

9) De Satana conf. *SCHLEUSNERI Nov. Lexicon Gr. Lat. in N. Test.* Ed. IV. Tom. II. pag. 827 voc. *Σατανῶν* et *Σατανᾶς*, et Interpp. Apocalypseos ad nostrum locum, ut *I. C. HEINRICHS.* in *Nov. Test. ed. Kopp.* Vol. X. Partic. I. p. 264. 266. 270. Verba *ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος*, ad quae nonnulla dabit *WETSTEN.* *Nov. Test.* Tom. II. p. 796, laudato Apocalypseos loco (conf. *Id.* Ep. I, c. III. 8.) illud potissimum respicere patet, quod ex *MOYSIS* narratione *Genes.* 3 serpens ille insidiatus iam est primordiis humani generis. Conf. *2. Cor.* XI. 3. *ὡς ὁ ὄφις ἔβαν ἐξ ἀπάτησεν ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ.*

10) *Apoc.* XII. 3, loco nostrum praecedente, draconi septem capita et decem cornua tribuuntur. In numo nostro decem capitibus enim horrere, monitum iam est. Qua de differentia argutari non placet in artificio magis, quam placuerit in carmine. Conf. *HEINRICHS.* l. c. p. 266.

11) *CHRYSOST.* T. V. p. 522. ed. Francof. 1698, fol. *Ὁ Μιχαὴλ τὸ τῶν Ἰουδαίων ἔθνος ἐνεχευεῖσθαι.* Conf. *SCHÖRTGEN.* *Hor. Hebr. et Talmud.* T. I. p. 1119, 1120. *HEINRICHS.* ad *Apoc.* XII. 7. p. 269 et *SCHLEUSNER.* l. c. voc. *Μιχαὴλ*, T. II. p. 158.

12) Taceo crucis signum super superna monstri capita serpentina eminens, quum id suo loco tantummodo ad Slavonicae inscriptionis initium et finem distinguendum accommodate interpositum reperitur. Idem in antica inter inscriptionem apparere iam monuimus; tertium forma minori adest inter tertiam inscriptionem.

si addiderim, serpentes callide implicatos esse ita, ut formam litterae X, initialem nominis Χριστοῦ, in animum intuentis revocent, particulas vero lineae perpendicularis superne atque inferne ita prominere <sup>13)</sup>, ut litterae I, quae initialis est nominis Ἰησοῦ, commonefaciant: etsi haud ignoro, a vulgari monogrammate in tot numis Byzantinis obvio ✠ quomodo haec abludant. Illud igitur si sumatur, ipse victus inferorum Princeps per suam draconis formam sic implicatam divini Redemptoris nomini humiliter subiectum se prodere quodam modo videatur.

## VII.

*Numismatis explicatio proposita rebus historicis fulcitur.*

Huius autem artificii inventio, sive figuras spectes, sive inscriptiones, quantum adhuc earum liquet, haud absurde facta est, si probabile illud redditum est et porro reddetur, in numo nostro praedicari ac celebrari Christianismi de Idololatria victoriam sub VLADIMIRO I. in Russia partam. Nam praeter S. Michaëlem, Satanae debellatorem, ex Apocalypseos loco laudato maxime repraesentatum, ex eodem in tali laetitia facile admonemur verborum, quae supra cum aliis in memoriam revocavimus: Ἄρτι ἐγένετο ἡ σωτηρία κ. τ. λ., atque etiam epinicii illius, quocum Iesaiæ ille locus consentit: Δία τοῦτο εὐφραίνεσθε οἱ οὐρανοὶ κ. τ. λ. Iam si fides habenda est iis, quae ex illa aetate de re maxime memorabili narrantur, singula quaedam vel in numismate nostro non iniucunde commendantur, aut certe eo intuen-  
do in mentem reducuntur.

Sic in Anonymi, qui eum, qui tum regnaret, Graecorum Imperatorem Basilium minus accurate Macedonem nominavit pro Basilio II. Romani filio ex Dynastia Macedonum, in reliquis ea tradit, quae aut vera aut veri similia habeantur, Anonymi igitur illius narratione quae legitur in Codice MS. Colbertino no. 4432, repetita a BANDURIO in *Animadverss. in Constantini Porphyrog. de adm. imp.*, quae reperiuntur in illius *Imperio Orientali* T. II. (Venet. 1729 f.) p. 62 seq. (ed. Paris. p. 112 seq.) non solum antiquum illud Ecclesiae: Κύριε ἐλέησον memoratur (ibid. p. 63 C.), sed etiam, quod Vladimiri apud Imperatorem Graecorum oratores commoti maxime fuerint, quum in magno sanctae Sophiae templo videre sibi atque audire viderentur

<sup>13)</sup> Quod in numo ipso, ni fallor, distinctius, quam in ectypo, quo usi sumus, apparebit; in tabella certe a Katschenovskio edita manifestius id quidem est, quam in nostra.

iuvenes alatos insolito atque specioso amictu, qui templi pavimento haud incederent, sed per aërem ferrentur psallentes: ἄγιος, ἄγιος, ἄγιος: quo se plus quam ceteris rebus in stuporem summamque admirationem coniectos fuisse Vladimiro retulisse feruntur (l. c. p. 63 D.); quibus Graeci Imperatoris proceres dixissent, ipsos angelos de coelo descendentes una cum sacerdotibus ministerium obire: cuiusmodi omnino ipsi oculis vidissent. (Ibid.) Non mirum igitur, si, qui numismatis inveniendi auctor fuit, quisquis fuit, in aversa eam maxime ponendam curavit inscriptionem, quae mirabile illud ἄγιος, ἄγιος, ἄγιος contineret. Nec mirum porro, quod in aversa parte legitur illud ΓΗ ΠΟΜΟΩΗ ΡΑΛΟΥ ΒΟΙΕΜΣ ΒΑΧΙΑΗΓΩ ΑΜΗΝ, quum Annalium scriptor dicat, magno illo die, quo Russorum Autocrator Chersone sacris Christianis primum initiatus iam Kioviae populum suum baptismatis beneficio mactaret, quo die, ut disertis verbis addit, et coelum et terra essent feriata, in sollemnitate illa ipsum oculis coelum sublatis huiusmodi preces fudisse: „Creator et coeli et terrae! benedicas his tuis filiis recens tibi natis; fac, ut te cognoscant, te verum Deum; in vera tu eos fide confirma. *Mihi vero auxiliare contra mali daemonis tentationes, ut digne sanctum tuum ego celebrem nomen!*“<sup>14)</sup>

Iam legat mihi, cui placet, etiam illa quae narrantur ab Annalium scriptore de idolis abolitis, maxime de Peruno everso, et accommodatius etiam in altera numismatis parte inveniatur monstrum illud pluribus capitibus distinctum, quod quale sit vidimus. Neque tamen audiendus est, si quis forte decem Satanae corporibus et capitibus serpentinis decem maxime antiquorum Slavorum idola quaerat: nam sex fuisse constat, ita ut hac in re minime sit argutandum. Neque illud praetermitti velim, famam apud populum fuisse, Michaëlem Archangelum, qui olim Satanam de coelo praecipitaverit, in Peruno, primario Slavorum Kioviensium idolo, de collibus Borystheni adiacentibus praecipitando manum admovisse adiutricem: quam famam testatur certe templum, quod nomini Michaëlis Archangeli illic dedicatum est, etsi id Vsevolodi aetate demum aedificatum.<sup>15)</sup>

14) Baptismus, ut Kioviae in praeterfluente Borysthene Vladimiro I. iubente Russi aquis sacris perfusi Christo initiantur, an a pictore iam sit maiori in tabula scite expressus, nescio. Hoc scio, spectaculum, ut a *NESTOR* ad a. 988 candida illa simplicitate refertur, fortis eiusdemque pii Magni Principis, sacerdotum et populi omnis aetatis ex utroque sexu figuris formarum et varietate et significatione artificii praebere laetum sane argumentum aliis multis toties repetitis facile praefendum.

15) *NESTOR*. Annal. ed. Petrop. ex cod. Regiom. p. 129, indeque *KARAMSINUS* not. 432 ad Tom. I. Historiae Imp. Russ. vers. Germ.

Unum adicere libet. Si ex omni Apocalypseos loco laudato illam etiam particulam numismatis inventori obversatam fuisse sumere licet, καὶ οὐκ ἠγάπησαν τὴν ψυχὴν αὐτῶν ἄχρη θανάτου: ad verbum intelligi potuit quum de sanctis omnino pro Religione Christiana martyribus, tum potissimum de pio illo Variaego et filio eius, qui primi et ultimi Kioviae morte sua et sanguine veri Dei testes, a Kioviensibus idolorum cultoribus trucidati occubuerunt. Quod ne quis longius petatum dicat, aut ab illius aevi sensu alienum: testatur historia, Vladimirim Magnum Principem Kioviae non solum sancto Basilio aedem ligneam extruxisse eodem, ubi ante fuisset Peruni idolum, loco, sed etiam e Constantinopoli architectos arcessivisse, qui nomini Matris Dei templum lapideum aedificarent eo ipso loco, ubi pius Variaegus ille cum filio supplicium ob veri Dei professionem esset perpressus. <sup>16)</sup>

## VIII.

*Difficultates quaedam epigraphes obscurioris tanguntur.*

Commendavimus numismatis explicationem nostram argumento et typorum et inscriptionum, momentis quibusdam historicis inclinationem menti facientes. Certius quidem (haud nego nec celo) loqui possemus, si de tertia inscriptione satis constaret, ita ut tota legi atque intelligi posset. Difficultas vero illius legendae augetur litteris vix distinguendis, ut H et N; non certo definiendis, ut III, U, Z: incertum enim relinquitur, an hae locis suis denotent M, Ω, Z, an potius alia omnia: restant praeterea aliae quaedam singulae incertae. Haud scio etiam, an compendiis scribendi lectio saepius impediatur, quod probabilius redditur compendiis scribendi in altera inscriptione KC pro ΚΥΡΙΟC, KI pro ΚΑΙ Η (καὶ ἡ). Sic v. c. fieri posset, ut sub illis ΟΥΡΥ lateret ΟΥΡΑΝΩ (οὐρανῶ), ut ΡΙΙΙΗ esset Ο ΑΜΗΝ (ὁ Ἀμήν, ut Apocal. III. 14 in illis: τὰδε λέγει ὁ Ἀμήν); ut ea, quae statim sequuntur, ΕΛ essent compendium vocis ΕΜΑΝΘΗΑ, quomodo in numis Manuelis I. Comneni (mort. a. 1180) occurrit IC. XC. Ο ΕΜΑΝΘΗΑ. Ac plura huius generis in promptu sunt, quae ut coniecturas plane incertas praetermitto, ne cruditates eiusmodi nauseam faciant lectori. Ut res est, tamen vel sic ex

<sup>16)</sup> De duobus martyribus illis, S. Theodoro et Ioanne, vid. ΚΑΛΑΜΣΙΝ. T. I. c. 9 p. 166, et de templis illis a Vladimiro exstructis ibid. p. 177 vers. Germ;

iis, quae supra exposui, probabiliter conici posse videtur, obscura epigraphae sententiam significari, quae quocumque modo breviter exprimat sensum figuris descriptis convenientem, eumque ex eodem Apocalypseos, unde illae sunt petitae, loco derivandum. Verba quidem ipsa eodem fere modo coniuncta et copulata in illo Novi Testamenti libro frustra quaesiveris (nam hac via reperiendae epigraphes spe me fateor omnino frustratum); at earum litterarum, quae in numo exstant, sensum Apocalypseos loco allato esse affinem suspicor adhuc, idque ex vocibus iam allatis ΔΡΑΚΟΝ et ΑΡΝΙΟΥ. Si audaciori esse liceret, dicerem, in ultimo inscriptionis vocabulo, vitiose nunc quacunq̄ue de causa scripto, latere ΑΙΜΑΤΙ (αἷματι), primum autem ΤΟCΕΡΑΗΕΛ nihil aliud esse quam Ἰσραήλ <sup>17)</sup>. Atque ut illud pro incerto habeatur, mihi animo obversans ob Apocalypseos verba, καὶ αὐτοὶ ἐνίκησαν αὐτὸν διὰ τὸ αἷμα τοῦ ἀρνίου <sup>18)</sup>: hoc satis certum mihi videtur reputanti, in eodem numo mendose scriptum esse ΠΑΙΡΙC pro ΠΛΗΡΗC et ΚΙΓΙ pro illis ΚΑΙ Η ΓΗ. Iam igitur fieri saltem posse putabam, ut vox Ἰσραήλ hoc loco posita sit, quo sensu in N. Test. saepius occurrit, ut veri Dei cultores, exemplum Iacobi imitantes, indicet, non solum inter Iudaeos, sed etiam inter Christianos <sup>19)</sup>, quocumque modo iuncta sententiae Ioanneae utcunq̄ue verbis, quae definire non ausim in numismate expressae, *victum esse draconem per sanguinem agni*.

Acquiescerem equidem, si hac, quam meo proprio periculo aperire ac munire studui, via alii longius procederent, ut, aut, archetypi ipsius inspicendi occasionem nacti, una vel altera littera rectius ibi lecta certius et plenius obscurae inscriptionis sententiam constituerent; aut numisma nostrum alio quopiam numo veteris Russiae illustrarent, ut audio a *KALAI DOVIDE*

17) Longe aliter quidem res se habet, si audiendus est Graecus quidam Kioviae degens, de quo narrat *PÉTRUS KÖPPENIUS* V. C., in *Catalogo Antiquitatum Russicarum Russicae et historiae et palaeographiae inservientium* (Russice Mosquae 1822, pagg. 119, edito octonis) p. 4, eum idem hoc legere Η ΣΕΡΑΝΕΛΑ, ἡ σερανέλα, addentem, sic hodie etiam Graecis appellari quodcumque colli ornamentum. Cuius rei fides sit penes auctorem: nos enim eiusmodi vocabulum ignorabamus, fortasse a σεῖρά, *funis*, derivandum, quanquam in lingua Romaica σεῖράν nunc esse *seriem* constat. At in numismate non adest Η CΕΡΑΝΕΛΑ, sed ΤΟCΕΡΑΗΕΛ. Reliqua, quae affert Graecus iste portenta verborum fingens, iisque ita abutens, ut perspicere non possit, quomodo sensus, quem vult, satis absonus, grammaticae prodeat, aliis, si placet, exigenda relinquo.

18) Τὸ ἀρνίον in N. T. nusquam proprio sensu usurpatum legi notum est, Christum vtro significare ita vocatum, tum ob mortem cruentam in cruce, quam pro peccatis hominum subiret, tum ob mansuetudinem, patientiam atque innocentiam, atque ita vocari per totam fere Apocalypsin Ioanneam. Conf. *SCHLEUSNER*. l. c. p. 355.

19) Conf. *SCHLEUSNER*. l. c. voc. Ἰσραήλ, p. 1121.

(*Kalaidowitsch*) V. C. repertum esse numum aeneum inauratum, qui monstrum simile exhibeat, licet duodecim illud capitum serpentinorum<sup>20)</sup>, aut denique aliud quodcunque monumentum comparando ad nostrum illustrandum adhiberent.

## IX.

*An comparata quadam gemma minuantur, nec ne.*

Hoc tertium quod attinet, laudanda est *KATSCHENOVSKII* sollertia, qui ex Montefalconio iam attulit<sup>21)</sup> notitiam gemmae in clipei formam scalptae<sup>22)</sup>, in qua comparet caput humanum, ex quo septem prodeunt serpentes, et in cuius parte aversa inscriptio est, quae similitudinem omnino habet cum nostra haud exiguam. Nihil tamen neque ad typorum illustrationem Vir doctus elicuit, neque ad inscriptionis explicationem. Hoc tantum concludit, et gemmam et aversam numismatis nostri partem referendam esse ad id genus, quod barbaro nomine *Abraxas* dicunt: qua re, quum et gemma illa ad id, quod *Abraxas* sensu artiore audit, referenda non sit, latissimo autem illo sumptum hoc genus omnia fere quae inextricabilia videntur, complectatur, nihil plane explicatur. Neque e gemma ipsa inspecta ad intelligentiam obscurae epigraphes in numismate quidquam proficitur.<sup>23)</sup> Quid? quod

20) Refert id *KÖPPE*. l. c. p. 10, 11.

21) In Diario quod inscribitur *Nuntius Europaeus* (Вѣстникъ Европы) 1822, no. 24, p. 339.

22) Onychem esse comperi ex *АВРАМ. ГОРЛАЕИ*, quae a Montefalconio non laudatur, *Dactyliotheca cum explic. Lac. Gronovii*, P. II, no. 418, 419, ubi apud Gronovium quidem p. 26 nihil invenies, quam haec verba: „absurditates partim gentilium in solis cultu sub forma draconis, partim Gnosticorum et Basilidianorum in horrorem Christianorum, qui columbis se similes dicebant.“

23) Conf. *L'Antiquité expliquée* etc. par *MONTEFALCON*, T. II. P. II. Pl. CLXIX. et *ГОРЛАЕИ Dactylioth.* l. c. Litterae, quibus pars aversa sigilli illius, quod clipeoli formam habet, apud Gorlaeum rotundam fere, apud Montefalconium oblongiorem, insignita est novem versibus, haec sunt praemissa crucis notā: *ΥΣΤΕΡΙΕΛΑΝΗΜΙΑΝΟΜΕΝΙΟΟΦΗΓΗΛΗΕΣΕΚΟΚΑΕΟΝΒΡΥΧΑΣΕΚΕΟΟΑΡΝΙΟΝ. ΚΥΜΟΥ. Io. CHIFLETI* libro careo, unde monumentum illud mutuam sumpsit Montefalconius, cuius ipsa haec sunt verba p. 375: „Nous donnons encore d'autres Abraxas, tirez de Chiflet, sur lesquels nous n'avons rien de nouveau à dire: celui à tete d'homme de laquelle sortent sept serpens; a au révers une assez longue inscription, qui commence par une croix bien formée: quoiqu'il soit difficile d'expliquer l'inscription, parce qu'elle est fort corrompue; on y entrevoit pourtant un sens, qui est que le serpent a rougi comme un lion, et qu'il est doux comme un agneau.“ Haec Montefalconii explicatio quam incerta sit; patet; etiāsi, quid voluerit ille, ulterius indagando suspicari velis, in *ΟΦΗ* ei visum inesse *ΟΦΙ*, et in illis *ΟΚΑΕΟΝΒΡΥΧΑΣΕΚΕΟΟΑΡΝΙΟΝ*, haec: *ΩΣ ΛΕΩΝ ΒΡΥΧΑΣΕ (?) ΚΑΙ ΩΣ ΑΡΝΙΟΝ* —. Taceo de portento serpentis, qui rugiverit ut leo, idemque mitis sit ut agnus: quod quorsum pertineat, equidem plane ignoro. Iam significavi, deceptum me fuisse spe; qua Montefalconium evolvissem; numismatis; si forte mendosa sit, scripturam corrigendi •

gemmae inscriptionem dicas imitationem ac corruptionem inscriptionis, quae in numismate est, potius quam hanc illius, idque duas ob causas: primum ob plures litteras in illa per negligentiam omissas, haud scio an etiam depravatas; tum ob crucis signum in numismatis inscriptione ex more apte interpositum, in gemma, ut videtur, per inanem duntaxat imitationem praemisum.

At fieri omnino possit, ut amplius quaerenti atque indaganti posthac offerretur tertium aliquod monumentum, in quo sententia litteris et facilioribus lectu et certioribus proponeretur ita, ut de ea nulla relinqueretur dubitatio. Quae sententia qualiscunque erit, ni omnia me fallunt, cum illo Apocalypseos loco a me iam ad numismatis figuras illuminandas adhibito cohaerebit.

## X.

*Adversariis quibusdam obviam itur cautelis adhibitis.*

illis, quae supra exposui (VI. VII.), explanatis haud scio annon illis primo loco respondendum sit, qui opponant fortasse, omnem huiusmodi explanationem (I—VIII) nimis doctam videri pro aevi et Principis, quibus numisma vindicamus, rationibus.

Gravioris momenti magisque necessarium videtur obviam ire iis, qui dixerint, ineptum esse atque absonum, loqui de maximi moduli numismate aureo apud populum prodito, qui plura saecula post certâ adhuc caruerit

gemmae, in qua vel peior esse videatur corruptela. Ceterum septem illi serpentes, qui proficiscuntur e capite humano, iterum mihi revocant Apocalypsin, et quidem XII. 3, ubi septem capitum draco memoratur. Reliquorum quidem, quae ibi simul enarrantur, nihil plane comparet in gemma. Vellem *BELLERMANNUS* nobis exponeret, quid de gemma ista Chifletiana ipsi videatur. Cui seni laborioso amplissimus eruditionis cum acumine adhibendae patet campus in vasto illo gemmarum genere, quod vulgo communi τῶν Abraxas nomine insigniunt, illustrando. Nam in docta dissertatione, qua vagum loquendi his in rebus usum certis limitibus circumscribere laudabiliter conatus est, (*Versuch über die Gemmen der Alten mit dem Abraxas-Bilde*, I—III. Stück. Berl. 1817—1819. 8.) omnia quidem huiusmodi opuscula ad tres classes, τῶν Abraxas, Abraxoidum et Abraxastrorum nominibus a se distinctas revocare studuit, quas dispescuit in formas multas, plures harum exemplis singulis illustrans; at de una classe, quam Gnosticæ Basilidianorum sectae adscribendam esse post alios, sed accuratius, docuit, egit copiosius ac subtilius. Paucorum quidem est, operam collocare atque ingenium exercere in huiusmodi rebus, ad quas proferendas mira commentorum varietas ex fontibus longe inter se dissitis iisque saepe valde turbidis confluerit ita, ut in toto hoc genere extricando atque illuminando coniecturae ac divinationi multum relinquatur, nec certa saepe, plerumque non nisi probabilia, per rei naturam, contingant inquirenti.

monetâ: neque numorum memorialium cudendorum artem apud nationem quaeri debere, apud quam monetæ feriundæ ars nondum ceperit incrementa <sup>24)</sup>.

Audio, nec repugno de eo, quod populum spectat. Non enim propositum mihi est, praeclaros illos viros refellere, qui dubitant, unquam fuisse monetam vel *Igoris* vel *Olgae*, vel aliorum ex remotissima illa Russiae antiquitate, etsi de *Iaroslavi* moneta dubitare haud sinit vel sola *KRUCII* nostri auctoritas, licet, cuius *Iaroslavi*, Magni Principis, is reliquerit ambiguum <sup>25)</sup>, et quamvis de ipsius *Vladimiri* moneta testimonia idonea <sup>26)</sup> repudiari non possint, licet certum non sit, cuius *Vladimiri*. At longe aliud quid est, ingens numisma aureum cum ansulis, quale nostrum est, tribuere velle, ut singulare *κειμήλιον*, praepotenti Principi, coniugi sororis longe ditissimi Graecorum Imperatoris, ut uno, quod repertum est, exemplo illud in torque e collo suspensum vel ipse gestarit, vel alicui seu filio seu cognato seu alii primario in aula viro gestandum dederit honoris causa; aliud statuere, *Vladimiri I.* aetate et introductam esse numorum cudendorum artem in Russia, et magnorum numismatum fabricandorum artificium ibi pervulgatum. Mihi quidem grande numisma nostrum, quum primum eius ectypum conspexi, non cusum visum est, sed fusum, ita quidem, ut torni ope nonnulla redderentur acriora ac subtiliora, ut in magnis S. Michaëlis alis locis quibusdam vel in ectypo erat conspicuum.

Ne Kioviae quidem id fabricatum esse dicere ausim, nec magis Kioviae artis monetariae rudimenta ab illiterato Graeculo introductae in illo agnosco. Ars omnino omnis, quae in opere apparet, est Byzantina. Aut Kioviae a Graeco Constantinopolitano, aut ipsa Constantinopoli fabricatum est; aut (nam quis certum dicat?) fortasse in illa urbe, ubi Christianam Religionem ipse simul cum uxore, Imperatoris Graeci Basilii II. sorore, amplexus est *Vladimirus*, Chersone.

Inventio autem operis pro Russica, ex Russico ingenio aevo illo prognata, minime habebitur ab eo, qui reputaverit, quis adhuc fuerit, vel potius abfuerit hominum cultus. Quid quaeris? nonnisi docti monachi vel Byzantini vel Chersonensis esse videtur. Si hariolari liberet, ab ipso Me-

24) Prolata sunt haec fere ab ipso *ΚΑΤΣΧΕΝΟΥΣΚΙΟ* l. c. p. 191.

25) Pluribus suo loco infra memorabitur *Iaroslavi* numus, Part. III.

26) Conf. *ΚΑΡΑΜΣΙΝ*, Hist. Imp. Russ. T. II, Annot. 45, p. 24 vers. Germ.

tropolita Chersonensi, qui baptismatis beneficio affecisset Principem, talis numismatis et περιόμματος formam ac speciem mente conceptam suspicarer. Scilicet monachos fuisse omnium maxime illa aetate in aula atque in monasteriis artifices, et pictores et statuarios et architectos, constat inter omnes. Scitum vero monachum produnt, quae supra exposuimus, omnia.

Iam nimis doctam pro illo aevo nemo amplius dixerit explicationem nostram, qui vel illi aetati doctos ecclesiasticos defuisse neget, et unum eruditissimum *PHOTIUM*, Patriarcham Constantinopolitanum, uno tantum saeculo antecedere Vladimiri I. aevum meminerit; neque argumentum ab illius aevi ingenio alienum, qui reputaverit, in aula Byzantina ex pluribus tum saeculis quam, quae ad Religionis Christianae dogmata atque omnino ad res ecclesiasticas spectarent, quot acerrimis agitata dissidiis, hominum animos plane occuparent, ita ut numis inferioris aevi sacrorum Christianorum argumenta persaepe inferrentur, nec solum monogramma Christi litteris XP. colligatis in moneta reperiatur, sed mox crux ipsa sit illata numis, ipsa Christi veneranda effigies nimbo caput ambiente in numis conspiciatur, Virgini deiparae secundum Christum maximus habitus sit in numis honos, ac Sanctis quoque locus in moneta datus honorificus.

His omnibus explanatis ne illud quidem quemquam facile offendet, quod in adversa numismatis Principis Russici auspiciis fabrefacti parte, ut quodam modo primaria, non Principis nomen est, sed Dei ter sancti, neque Russica inscriptio, sed Graeca, Principis vero nomen cum inscriptione Slavonica in aversa tantum parte reperitur. Qua de re mirari posses, si aliud esset numismatis argumentum, ex re minus gravi et sacra profectum, alii quam ingenio Byzantino tractatum.

## PARS SECUNDA.

### XI.

*Quaeri, an ad Vladimirus II. Monomachum potius et ad Suiatopolcum referendum sit numisma.*

Quae me impulerint, ut Vladimiro I. potissimum attribuerem numum, satis superque mihi videor exposuisse. Eidem cur ab aliis iam assignatus sit, eius rei, praeter Basilii nomen, causas nullas dum accepimus; saltem eas, quae parvi esse videantur momenti.

Fieri quidem posset, ut Basilii nomen in numo occurrens notaret *Vladimirus II. Monomachum*, et ut S. Michaëlis figura ad Magnum Principem *Suiatopolcum*, Christiano nomine *Michaëlem*, ita esset referenda, ut Sancto cognomine effingendo avunculum illum suum colere voluisset et observare Princeps pius ac religiosus, illo fortasse tempore, quo post patris mortem ipse Tschernigoviam se recepisset, Magni Principis dignitate Suiatopolco Michaëli Kioviae regnatura relicta.

Haec fere coniectura proposita iam est ab *ANASTASIADÉ*, ita quidem, ut ei non multum tribuat. Ipse enim *Vladimirus I.* praefere videtur, etsi, quum in aversa numismatis parte Medusae scilicet caput videat, quibus de causis Vladimiro I. illud adscribere malit, minime perspiciatur.

### XII.

*Num rationes idoneae alibi prolatae ad numisma vel Vladimiro I. vel Vladimiro II. tribuendum.*

Ne Vir summe venerabilis quidem ille, cui primam numismatis notitiam debemus, de argumentorum in utraque parte nexu ita iam meditatus vide-

tur, ut in eius sententia acquiescere possimus. Qui veri amantissimus quum ipse nos iusserit examinare quae scripto mandasset, nil impedit, quo minus ipsius verba transcribamus, nostris additis animadversionibus.

„De aevo huius numismatis“, inquit, „duplicem sententiam propono: 1) quoniam in sigillis effigendi Sanctos sui nominis mos obtinuit apud nostrates Principes, coniciebam, numisma hoc pertinere ad aevum Principis Magni Sviatopolci (Christiano nomine Michaëlis, qui regnavit a. 1093 — 1113) et Principis Vladimiri Monomachi, Christiano nomine Basilii (regn. 1113 — 1125). Sed 2) multo proclivior sum ad numisma hoc adscribendum Magno Principi Vladimiro (regn. 980 — 1015), Christiano nomine Basilio, ob sequentes rationes: 1) Archangelus Michaël praeter morem indutus imperatoria Dalmatica, dextrâ tenens militare signum, sinistrâ globum imperatorium, non potuit repraesentare Sanctum cognominem alicui Principi. Quippe Sancti cognomines Principibus effingebantur in sigillis Principum ordinario suo vestitu, uti videre est in collectione Diplomatum Russicorum a Cancellario Comite *RUMIANZOV* edita (Собрание Государственных Грамотъ) Tom. I. pag. 16, in sigillo Michaëlis, Principis Tverensis. 2) Hoc in numismate Archangelus Michaël denotat non cognominem Sanctum, sed gentile insigne (Грѣбъ) urbis Kioviae, prouti hucusque est idem. 3) Inscriptiones, Graeca iuncta Russicae, et quidem ambae depravatae atque mendosae, arguunt rudimenta artis numismaticae a rudi quodam et illiterato Graeculo Kioviâ primo introductae, et vel ipsa aegis serpentibus implicata sapit Graecismum. — Circa supra memoratam effigiem eiusdem Archangeli, in sigillo Tverensis Principis Michaëlis, observo, Principem Michaëlem mutuasse quidem suum insigne a numismate Kioviensi, sed non ausum esse Archangelum induere Dalmatica imperatoria, quippe non erat ipse Magnus Princeps totius Russiae“.

Haec ille, Vir plurimum reverendus. Quae repetere visum est, ut plura adiungere possimus, quae sine illis vix satis intelligerentur.

Suiatopolco Michaëli, avunculo, in honorem, Vladimiri Monomachi auctoritate per breve illud tempus, dum hic Tschernigoviam se recepisset, Michaëlem Archangelum in numismate repraesentatum esse, id, si quid video, minimum habet probabilitatis, quandoquidem Archangeli in numismate habitus atque vestitus etiam sine tali hypothese facile potest explicari. Neque,

quamdiu pessimus Suiatopolcus primum inter Russiae Principes locum obtinuit, ex tristibus, quae Russiam tum divellerent, dissidiorum bellorumque intestinorum temporibus aureum eiusmodi fructum Vladimiri Monomachi manu decerptum, facile exspectes. Si Monomacho tribuendum esset numisma, ex illa potius aetate illud profectum putarem, qua Russiae strenue imperans ipse gloria bellica clarus vel Graeco Imperatori Alexio Comneno timorem iniiceret, magnificis ab eo donis, ut Annalium scriptores narrant, auctus.

Frequentiores tamen videntur aulae Kioviensi cum Constantinopoli necessitudines regnante *Vladimiro I.* intercessisse, quam proximis saeculis post, quippe qui per coniugem suam, Imperatoris Graeci sororem, Annam, et per novum Religionis Christianae vinculum, novo Metropolitae aliisque ecclesiasticis accitis, copiis etiam militaribus affini auxilio missis, porro artificibus, ut architectis, statuariis, pictoribus, e Graecia arcessitis, cum imperio Byzantino artius esset iunctus. Christianae vero Religionis constitutio res erat tanti momenti, in imperii salutem tam frugifera, ut eo ipso, quo facta esset, tempore, aureo numismate symbolis biblicis signato peropportune commemorari videatur, et ut cogitari utique possit, quod supra diximus (P. I. §. X.), Vladimirus Magnum Principem vel ipsum in sollemnitate dierum festorum eiusmodi decus atque ornamentum torqui appensum in collo gestavisse, vel alicui, cui in primis faveret, honoris causa gestandum id dedisse.

Ex Dalmatica quidem, qua Archangelus indutus est, nihil plane sequitur ad *Vladimirum I. Suiatopolco Michaëli* et *Vladimiro Monomacho* praeferendum: nam si vera inesset probandi vis in illis, quae de vestimentis transscripsi, quum Suiatopolcus Michaël Magnus Princeps Russiae esset, is Dalmatica imperatoria indutus sub Sancti cognominis imagine ex illis quidem placitis effingi utique potuisset. At Dalmatica illa quum non solum imperatorius sit vestitus, sed archihieraticus etiam, quo Angeli pingi solent: Michaël Archangelus quomodo in numismate nostro praeter morem indutus imperatoria Dalmatica dicatur, me non intelligere fateor. Differt quidem vestitu non transverse cincto Archangelus in laudato sigillo Michaëlis, Principis Tuerensis, a numismate: at in eodem sigillo tenet et labarum et globum imperatorium, ita ut de observationis illius quoque veritate liceat nobis dubitare. Dies nomini festos Russis celebrari constat sollemnius etiam quam dies cuiusque natales, idque ob Sanctos, quorum cognomi-

nis est quisque, cuius propterea tutelae maxime se sperat commendatum <sup>27)</sup>. Hoc quidem cum more atque hac cum spe cohaerere puto, quod in veteribus sigillis Russiae Principes sui nominis Sanctos efformare amant. At decreti, Sanctos Principum cognominum ordinario vestitu effingi, certam demonstrationem equidem desidero: illo saltem Tuerensis Principis exemplo id haud evidenter comprobatur.

## XIII.

*De S. Michaële Archistratego disseritur.*

S. Michaël quod in numismate nostro, in Tuerensi illo sigillo, et in aliis etiam monumentis, effictus est et cum labaro et cum globo crucigero, aliunde derivandum puto: inde nimirum, tum quod is coelestium copiarum Archistrategus perhibetur, tum quod idem populi Hebraici tutelam iam olim suscepisse dicitur, cuius et ἀρχων audit apud DANIELEM Prophetam locis supra laudatis (P. I. §. VI.). Sic apud Rabbinicos etiam legitur scriptores, ut *Talkut Rubeni* fol. 8, 3: „Michaël et Gabriel sunt *Principes magni*, et amant Israël, tanquam animas suas“ <sup>28)</sup>: „unde“ ut Schleusneri verbis utar, „frequens apud Iudaeos mentio disceptationum Michaëlis cum Satana, maxime in rebus gentis Iudaicae eiusque maiorum curandis“; occurrit etiam in N. T. *IUDAE* Epistolâ v. 9. ὁ δὲ Μιχαήλ ὁ ἀρχάγγελος, ὅτε τῷ διαβόλῳ διακνηόμενος διελέγετο περὶ τοῦ Μωϋσέως σώματος, de qua cum Satana de corpore Mosis lucta conf. *WETSTEN. N. Test. T. II. p. 734. SCHOETTGEN. I. l. ad Iudae Epistolam p. 1079, 1080.* Imperium igitur quum sit S. Michaëlis; in Ecclesiae imaginibus atque etiam in sigillis eum per tot iam saecula cum globo, imperii et victoriae signo <sup>30)</sup>, saepissime exhiberi, mirum amplius non erit. Quod igitur S. Michaëlem cognominem alicui Principi Sanctum numismate nostro repraesentare negat Vir ille, quem summa, qua decet, prosequor reverentia, id probo quidem, sed aliis, ut patet, quam ille rationibus inductus.

27) *Vladimirum I.* seu *Basilium S. Basilio* Kioviae aedem ligneam extruxisse eo loco, ubi olim esset Peruni signum, iam commemoravimus P. I. §. VII.

28) Conf. *SCHÖTTGEN. I. l. p. 1120. SCHLEUSNER. I. l. p. 152.*

29) Sic in perantiqua pictura in pariete antiquissimi sacelli aedis S. Nazarii et Celsi Veronae conspicitur Michaël Archangelus alatus cum globo, animam pii Hierosolyma coelestia comitans. Laudatur a *FR. HENR. VON DER HAGEN: Briefe in die Heimat. Vol. II. p. 63.*

30) De globo, symbolo imperii orbis terrarum, conf. *ECKHBL. Doctr. num. vet. T. VII. p. 144, de globo crucigero ibid. T. VIII. p. 505, coll. 147, 148.*

*Kioviae S. Michaël patronus. Urbis Kioviae insigne gentile explicatur.*

Quod eundem in numismate notare contendit gentile insigne (Терѣб) urbis Kioviae, prouti huc usque sit idem: in eo haud ingrata nobis occurrit admonitio de hodierno urbis Kioviae insigni, cuius urbis patronum esse S. Michaëlem alibi etiam nuper legissemus <sup>31</sup>). At si ex Vladimiri I. aevo vere est numisma nostrum, in eo S. Michaëlem iam urbis Kioviae gentile insigne notare equidem negaverim, quum, saeculo X. iam fuisse urbium eiusmodi insignia (Städte-Wapen), probari non possit. Quid S. Michaël cum Satana compositus sibi velit in numismate Christianismi de idololatria victoriam sub Vladimiro I. in Russia partam celebrante, e sacro derivatum fonte supra spero esse probabiliter ostensum.

Quid vero? si ipsum numisma nostrum, ea qua incessimus via spectatum, opportunam nobis praebeat ansam causae adprehendendae, propter quam, et S. Vladimiri iam tempore, inter Sanctos maxime S. Michaël, Archangelus, Kioviae factus sit patronus, et Kiovia urbs vel hodie huius Archangeli persona, ut splendidissimo suo insigni gentili, gaudeat ac gloriatur. Quid multa? Rationes ex Apocalypsi petitae, quae numismatis nostri sensum interiorem nobis recludebant, eadem utrumque illud nobis videntur explicare. Kiovia ea est Russici imperii urbs, quae prima recepit salutarem Religionis Christianae fidem; ea, in qua primum profusus est sanctorum Martyrum sanguis; in qua primum denique surrexerunt templorum fastigia. S. Michaël, ut Satanae debellator, ex antiquissimis inde temporibus optime repraesentare visus est Christianismi de Gentilismo victoriam ac triumphum. Haec si reputemus, hunc Archangelum neque ut Kioviae patronum mirabimur, neque ut antiquissimum urbis insigne gentile. Speramus potius fore, ut ex prisco *Vladimiri I.* aevo id iam probabiliter per nos sibi vindicatum esse laetentur Kiovienses, numismate nostro posthac tanquam novo honoris sui teste, et quasi Palladio quodam dignitatis suae Christianae, superbientes.

*Utrum Constantinopoli fabricatum numisma, an alibi. Comparati quidam numi Byzantini aliique.*

Igitur hac etiam via persequenda; quae primum paullo abducere nos

31) In *KOEPFENII* libello Russice scripto, quem laudavimus adnotat. 17.

videretur, redimus ad *Vladimirum I.*, et ad adsertum Christianae Religionis stabilitae aureo illo numismate quum Russiae, tum Kioviae decus.

An hac in urbe fabricatum sit hoc ornamentum singulare, redolens Byzantinorum ingenium, an Constantinopoli ipsa, an fortasse Chersone, me negavi supra decernere audere (P. I. §. X.). Propter mendosam epigraphen Graecam Kioviae potius fabricam quaererem, eamque ab illiterato Graeculo profectam, si Constantinopoli ipsa ex numis eorumque inscriptionibus ista fere aetate melior nobis arrideret artis et litterarum conditio. At si quis comparare velit saeculi noni et decimi numos Byzantinos, haud meliorem inveniet rerum faciem; imo ex numis, qui supersunt, si artem et scripturam spectes, peiora etiam occurrent. Sic v. c. in numo certo *Basilii Macedonis* legitur BASIL. CONSTANT. S. LEON. EN. ΘΟ. BASILS. ROMEON, ubi illud LEON pro ΛΕΩΝ, ΘΟ pro ΘΕΩ, ROMEON pro ΡΩΜΑΙΩΝ, confusionem litterarum Ο et Ω, eamque scribendi rationem, quae sequeretur pronunciationem diphthongi *as* ut *ae* vel *e*, satis monstrant. Offendit etiam, quod scriptura est litteris mixtis Graecis et Latinis, ut in numis *Constantini VI.* aut *Michaëlis II. Balbi*: IHSVS. XPISTVS. NICA. Neque ulla constantia: sic in numis *Leonis VI. Sapientis*: LEON. EN. Xω. BASILEVS. ROM., et rursus LEΩΝ. et ΡωΜΑΙωΝ. Quodsi ars et picturae stilus in numismate nostro non plane contemnendus inest, cogitare debemus, in tali artificio insolito, quod uno fortasse aut paucissimis certe exemplis fusum et caeli ope perfectum exstaret (P. I. §. X.), peritiori manui rem esse demandatam, dum vilior pecunia artificibus rudioribus relinqueretur. Ut simile quid cogitari potest in ingenti illo numo aureo *Valentis* Aug., qui secundum veram suam magnitudinem expressus exstat in *KHELLII* Supplemento ad Impp. Vaillantii, appendens aureos Hungaricos 51 $\frac{1}{4}$  <sup>32)</sup>, aut de illo *Iustiniani*, quem ex museo regis Galliarum conspiciendum dedit *BÖZEUS* <sup>33)</sup>, qui numus aequat ponderis Parisini uncias 5, drachmas 2 vel 3, aut de *Tetrici* illo aureo praegrandis moduli, quem ex museo regis Galliarum edidit idem *BOZEUS* <sup>34)</sup>, duobus annellis instructum; aut de numis illis aureis *Honorii* et *Gallae Placidiae*, de quibus egerunt *CUPERUS* et *BLANCHINIUS* <sup>35)</sup>.

32) Laudante *ECKHELIO* *Doctr. num. vet.* T. I, P. LI.

33) *Mem. de l'Acad. R. des Inscr. et B. L.* T. XXVI, p. 523, cuius ibi conf. dissertationem p. 523 — 531.

34) *Ibid.* p. 504, de quo numo satis eleganti docte disseruit idem p. 504 — 509.

35) Conf. *Saggi di Dissertazioni accad. lette nell' Acc. di Cortona* Tom. IV, 235 — 247. Tacui de

*Picturae genus in numismate Byzantinum. S. Michaël quando primum reperiatur in moneta. Slavonica epigraphæ quibus fere respondeat Byzantinis.*

Picturae stilus, quem vocant in numis, in nostro numismate est is omnino Byzantinus <sup>36)</sup>. Neque abhorrent characteres Graeci, saltem ut in adversae partis inscriptione occurrunt, a saeculo post Christum decimo, cui monumentum nostrum ob *Basilii* nomen, ob typorum argumentum, atque ob reliquas causas placuit attribuere.

Nec desunt in numis inferioris aevi exempla inventionis ad nostri numismatis similitudinem aliqua certe ex parte accedentis.

Sanctus quidem *Michaël*, Archangelus, in moneta *ΕΚΚΗΛΙΟ* cognita <sup>37)</sup> non reperitur prius quam in numo *Theodori I. Lascaris* (mort. 1222), etsi inter Sanctos primum *Michaëli* Archangelo in moneta locum honorificum datum dicit, quem deinde *S. Georgius* secutus sit in numis *Alexii I. Comneni*, *Ioannis II. Porphyrogeniti* rel., atque hos duos tantum *DUCANGIO* fuisse cognitos. Serius emersisse *S. Eugenium* in numo *Manuelis I. Comneni* <sup>38)</sup>, et *S. Demetrium* in numis *Theodori I. Lascaris* et *Andronici II. Palaeologi*. Iam igitur, si numisma nostrum vere est ex aevo *Vladimiri I.*, atque igitur ex aevo *Basilii II.* et *Constantini XI.* fratris, Imperatorum Graecorum: *Michaël* Archangelus duobus fere saeculis ante apparet in hoc certe numismate, quam adhuc fuerit notum.

numo aureo praegrandis moduli, quem ex museo regis Galliarum pictum stiterunt *DUCANGIUS* et *BANDURIUS*, qui exhibet triumphum *Heraclii I.*, et oneratur multis sententiis partim Graecis, partim Latinis, ex sacra scriptura haustis, quum is aequalis non sit *Heraclio*, sed potius eiusdem aut similis prosapiae esse videatur ut illi, qui serius eodem volumine confecti fuerunt, et se opus *PRISANI* profitentur (conf. *ΕΚΚΗΛ. Doctr. num. vet.* T. VIII. p. 223), ut magnus ille *Ioannis Palaeologi*, pictus apud *DUCANGIUM* (*Famil. Byzant.*, ed. Venet. p. 200) aliosque.

36) In tabula aeri incisa, quae commentationi nostrae accessit, quaedam negari non potest a *SENFFIO* nostro, genere nonnihil immutato, elegantius esse delineata, quam in numismate ipso, aut potius in ectypo, quo doctus artifex est usus, apparebant. Hoc de *S. Michaëli* potissimum facie valet, etiam de capite humano in adverso numo; durius etiam sculpta, si bene memini, et torvum magis intuentia, in archetypo serpentum capita. Atque hac ex parte haud scio an tabula *Katschenovskii* dissertationi addita (*Вѣстникъ Европы* a. 1822 no. 10), licet artificii diligentia nostrae multo inferior, atque in singulis etiam typis et characteribus exprimendis minus accurata, in duabus figuris primariis magis reddat operis ingenium Byzantini. Nam prima quae in lucem prodiit numismatis ichnographia artis lithographicae ope facta, addita *ANASTASIADIS* disputatiunculae, (*Соревнователь Просвѣщенія и Благотворенія*. 1822. no. III) ab omni parte tam negligenter et incite facta est, ut usus eius iam sit nullus.

37) *Doctr. num. vet.* T. VIII. p. 506.

38) Cuiusmodi numus iam est etiam in museo Dorpatensi ex dono *Richteriano*, ut commemoravi in Epistola ad Editorem clarissimum data in libro: *OTTO FR. v. RICHTER Wallfahrten im Morgenl.* p. 624.

Slavonicum vero illud *Domine, auxiliare servo tuo Basilio* (P. I. §. III.) plane respondet illis, quae sic scripta sunt in numis *Theophili* (mort. a. 842): CVPIE. BOHΘH. TO. SO. )OYAO (i. e. KYPIE. BOHΘEI. TΩ. ΣΩ. ΔOYΔΩ) <sup>39)</sup>, aut in numis *Alexii I. Comneni* (mort. a. 1118), vel *Alexii II. Comneni* (mort. a. 1183): KE. BOHΘEI — AΛEΞIΩ. ΔECPOTH. TΩ. KO. MNHNΩ <sup>40)</sup>.

## XVII.

*Argumentum numi praecipuum alienum non esse ab ingenio Byzantinorum, numo Constantini M. ostenditur. Eusebii loco illustratur.*

Restat, ut, *primarium numismatis nostri argumentum* haud abhorreere ab ingenio illorum atque etiam antecedentium temporum, exemplo probeamus.

Inter *Constantini Magni* numos igitur iam occurrit aeneus tertiae formae, in cuius aversa legitur SPES. PVBLICA. Eius aversae typus est *Serpens, cui insistit labarum, cui superpositum est monogramma Christi*. Vides hunc numum aeri incisum in *DUCANGII Familiis Byzantinis* tab. III., eumque nuper repetitum in *DAGINCOURTII* opere de artis historia ad comparanda mediae aevi saecula per senem egregium commode instituto <sup>41)</sup>. Ac similem numum eumque integerrimum se vidisse testatur *ECKHELIUS*, <sup>42)</sup> in museo Principis Waldeckiae, scripto infra CONS., i. e. Constantinopoli, quo typo iam *DUCANGIO* iudice indicatur, in contritione quam vocant veteris serpentis per nomen Christi *spem publicam* consistere. En igitur argumento, quo numisma nostrum superbit, exemplum simplex magis, ut ab aevo minus adhuc ad luxuriantem barbariem delapso expectes, repertum, quod ipsum, ni fallor, ex nullo alio potius fonte haustum est, quam, si ad principium velis redire, ex Apocalypseos Ioanneae loco nobis laudato, iuncto fortasse eiusmodi locis biblicis, quales attulimus supra (P. I. §. V.), ut *Io. Ep. I, c. III. 8. 2 Cor. XI. 3. coll. Genes. 3*. Quocum singulari plane modo

39) Conf. *ЕСКНЪЛ*. l. I. T. VIII. p. 240. Vid. etiam de numo *Constantini XII. Monomachi* *Museum Hedervar.* Part. II. p. 399. ibiq. Tab. VIII. N. 107.

40) Atque hinc ipse facile iam emendabit et explicabit *ANASTASIADIS*, quam l. c. laudat inscriptionem Graecam Russicae iunctam, eamque Orschae repertam, in disco plumbeo, quem a se Bibliothecae Imperiali Petropolitanae dono datam narrat, sic eam afferens perquam mendose: KE BOHΘITO CT. ΔOYΔO ANAPEATOC BAAAO.

41) *Hist. de l'Art*, Livrais. VIII. Pl. XLVIII. no. 47.

42) Loco laud. T. VIII. p. 88.

consentit, quod refert *EUSEBIUS vitá Constantini* lib. III. cap. 3 <sup>43</sup>), Constantinum in tabula proposuisse ante vestibulum palatii effigiem suam, cuius capiti immineret salutare signum, sub pedibus esset in praeceps ruens diabolus draconis telis confixi formá. Sed ipsum Episcopum Caesariensem audiamus *HENRICO VALESIO* interprete: *Quin etiam in sublimi quadam tabula ante vestibulum palatii posita, cunctis spectandum proposuit salutare quidem signum capiti suo superpositum: infra vero hostem illum et inimicum generis humani, qui impiorum tyrannorum operá Ecclesiam Dei oppugnaverat, sub draconis forma in praeceps ruentem. Quippe divina oracula in Prophetarum libris draconem illum et sinuosum serpentem appellarunt. Idcirco Imperator draconem telis per medium ventrem confixum, et in profundos maris gurgites proiectum, sub suis suorumque liberorum pedibus cerá igne resolutá depingi proponique omnibus voluit; hoc videlicet modo designans occultum humani generis hostem, quem salutaris illius tropaei quod capiti ipsius superpositum erat, vi ac potentia in exitii barathrum detrusum esse significabat. Atque hoc quidem imago variis coloribus depicta tacite indicabat. Mihi vero eximiam Imperatoris intelligentiam mirari subit, qui divino quodam afflatu impulsus, ea pingendo expressit, quae Prophetarum vocibus de bestiá illá multo ante praedicta fuerant: Deum scilicet machaeram ingentem et terribilem adacturum esse in draconem serpentemque fugientem, et occisurum esse draconem qui est in mari. Horum igitur figuram expressit Imperator, rem ipsam picturá prorsus imitans <sup>44</sup>). Quod de Prophetarum vocibus dicit, in eo ab*

43) Ed. Mogunt., vel potius Francof. 1672 ad exempl. Paris. repet., p. 484.

44) Ὁ μὲν δὴ καὶ ἐν γραφῆς ὑψηλοτάτῳ πίναι πρὸ τῶν βασιλικῶν προθύρων ἀνακειμένῳ τοῖς πάντων ὀφθαλμοῖς ὄρασθαι προὔτιθει, τὸ μὲν τωτίριον ὑπερκείμενον τῆς αὐτοῦ κεφαλῆς τῇ γραφῇ παραδοῦς, τὸν δὲ ἐχθρὸν καὶ πολέμιον θῆρα, τὸν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ διὰ τῆς τῶν ἀδείων πολιορκήσαντα τυραννίδος, κατὰ βυθοῦ Φερόμενον ποιήσας ἐν δράκοντος μορφῇ. δράκον· α γὰρ αὐτὸν καὶ σκολιὸν ὕφιν ἐν προφητῶν Θεοῦ βίβλοις ἀνηγόρευε τὰ λόγια. διὸ καὶ βασιλεὺς ὑπὸ τοῖς αὐτοῦ καὶ τῶν αὐτοῦ ποσὶ, βέλει πεκαρμένον κατὰ μέσου τοῦ κύτους, βυθοῖς τε θαλάσσης ἀπεβρέξιμένον, διὰ τῆς κηροχύτου γραφῆς ἐδείκνυ τοῖς πᾶσι τὸν δράκοντα, ὡδὲ πη τὸν ἀφανῆ τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους πολέμιον ἀνιττόμενος, ὃν καὶ δυνάμει τοῦ ὑπὲρ κεφαλῆς ἀνακειμένου σωτηρίου τροπαίου κατὰ βυθῶν ἀπωλείας κευκαρημέναι ἐδήλου. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἄνδει χρωμάτων ἠνίττετο διὰ τῆς εἰκότος· ἐμὲ δὲ θαῦμα τῆς τοῦ βασιλέως κατέειχε μεγαλονοίας, ὡς ἐμπνεύσει θεῖα ταῦτα διετύπου, ἃ δὴ Φωαὶ προφητῶν ὡδὲ που περὶ τοῦδε τοῦ θῆρος ἐβίων, ἐπάξειν τὸν Θεὸν λέγουσαι τὴν μάχαιραν τὴν μεγάλην καὶ φοβεράν ἐπὶ τὸν δράκοντα τὸν ὕφιν τὸν φεύγοντα, καὶ ἀνελεῖν τὸν δράκοντα τὸν ἐν τῇ θαλάσῃ. εἰκόνας δὲ ταῦτων διετύπου βασιλεὺς, ἀληθῶς ἐντιδεῖς μιμήματα τῇ σκιαγραφίᾳ. Ceterum de Eusebio, Constantini M. laudatore, contulisse non poenitebet sobrii iudicii scriptorem, *MANSONEM Vitá Constantini (Lehen Constantins des Gr. u. s. w. Bresl. 1817) p. 272 seq.*

Eusebio respici maxime, iam annotarunt Interpretes, *IESAIAM* XXVII. I. 45). Totum vero Eusebii locum adscripsi, ut clarius pateret, quam familiare fuerit atque usitatum inde a longo tempore illud, quod in numismatis nostri aversa parte conspeximus, imaginum signorumque genus, quum in Ecclesia Graeca, tum in aula Byzantina.

## XVIII.

*Epilogus.*

Finem iam imponere possem disputationi, quum hypothesin meam probabilem reddere studuerim, tum ex argumento et typorum et inscriptionum numismatis, historiae habita ratione, tum ex modo picturae, quo illud distinguitur, etiam ex aevi Byzantini ingenio atque indole. At alii occurrendum esse video hypothesi nuper mihi compertae, quam proposuit *MICHAEL KATSCHENOVSKIUS* V. C., proprie etiam eam redarguendam: nam obiter passim eandem iam respexi. Quod propositum ita exsequi conabor, ut nonnullae simul Byzantinorum res, ad *Basilium Macedonem* maxime illae pertinentes, explorentur.

45) Addo, eundem Iesaeiae locum, ut nostrum Apocalypseos XII. 9, observatum etiam esse *PHOTIO* *Bibl.* p. 1563, ed. Rothomag. a. 1653, ubi, ut probaret, ὅτι δράκοντα πολλάκις ἡ γραφή καλεῖ τὸν διάβολον, καὶ ὄφιν σκολιόν, haec attulit: Διὸ καὶ ὁ σωτὴρ φησιν, (*Luc.* X. 19) ἰδοὺ, δέδωκα ὑμῖν ἐξουσίαν, πατεῖν ἐπὶ τὸν ὄφιν καὶ σκορπίον. καὶ ἵνα μὴ τὰ ἔρποντα ὑπολάβητε, ἐπήγαγε καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ. δράκων καὶ ὄφιν, ὁ διάβολος· οὐχ ὡς βίβρα κανίας, ὡς φασιν οἱ Μανιχαῖοι· ἀλλ' ὡς κατ' ἄρχων τῶν δαιμόνων, καὶ ἀρχηγὸς αὐτοῖς τῆς ἐκπτώσεως γεγονώς.

## I. SCHOLAE THEOLOGORUM.

**RUDOLPHUS HENZI**, D., a Consil. Aul., Exegeticae et LL. OO. P. P. O., Ordinis Theol. h. t. Decanus, 1) *Partem posteriorem interpretationis synopticae trium priorum Evangeliorum* tradet, quinques per hebd., dieb. Lun., Mart., Merc., Iov. et Ven. hor. VIII—IX mat. 2) *Proverbiorum Salomonis* explicationi impendet horas duas, dieb. Mart. et Iov., IX—X. 3) *Hebraicam linguam* docebit secundum *Gesenii Elementa*, ed. V. (Hal. 1822), ter, dieb. Lun., Merc. et Ven., hor. IX—X. 4) In *Seminario theologico* et commentationibus *catecheticis* in Pericopas evangelicas habendis praeerit, et Latine de rebus *exegeticis* scribendo et disputando exercebit Sodales die Sat., hor. IX—X.

**LAURENTIUS EWERS**, D., a Consil. Status, Theologiae dogmaticae et moralis P. P. O., Ordinis S. Annae Eques secundae Classis, tradet: 1) *Vberiore introductionem in Theologiam reuelatam*, sua secuturus praecepta, sexies p. hebdom. hor. IX—X, gratis; 2) *Dogmaticae partem posteriorem*, more solito, ad *Mori Epitomen*; etiam sexies p. hebd. h. X—XI; 3) *Introductionem criticam in Nov. Test.*; duce *Haenleinio: Lehrbuch der Einleitung in die Schriften des neuen Testam.*, iudem sexies p. hebd. h. II—III.

**THEOPHILUS EDUARDUS LENZ**, Theologiae practicae P. P. O. et Pastor primarius, 1) *practicam gravissimorum Religionis Christianae dogmatum enarrationem* nuper a se coeptam continuabit et ad finem perducet; 2) in *Seminario theologico homileticas* diriget exercitationes, horis quas publice indicabit.

Cathedra Professoris ordinarii Litteraturae theologiae et Historiae ecclesiasticae est vacua.

## II. SCHOLAE IURISCONSULTORUM.

**CHRISTOPHORUS CHRISTIANUS DABELOW**, D., a Consil. Aul., Ordinis domus Magn. Hass. Duc. Eques, Ictorum h. t. Decanus, Iuris civilis et Iurisprudentiae practicae P. P. O. 1) *Institutiones* tradet ad Conspectum a se editum, quinques, hor. XI—XII. 2) *Pandectarum* cursum priorem emetietur, ad Conspectum suum, quinques, hor. IV—V. 3) *Litium rationem* exponet ad dictata, hor. V—VI, quinques.

**IOANNES GEORGIUS NEUMANN**, a Consil. Status, Ordinis S. Annae secundae classis Eques, Iuris Russici P. P. O., Tribunalis academici, quo appellatione certatur causaeque recognoscuntur, h. t. Praeses, 1) *Iuris Russici privati* cursum alterum emetietur, quinques p. hebd., hor. XI—XII. 2) *Historiam Iuris Russici* narrabit, ab Uloschenia usque ad regnum Catharinae II. Imperatricis, quinques p. hebd. hor. XII—I.

Cathedrae Professorum ordinariorum 1) Iuris provincialis et theoretici et practici; 2) Iuris criminalis, Processus criminalis, Hist. Iuris et Hist. litterariae iuridicae, et 3) Iuris publici et gentium ac Politices sunt vacuae.

### III. SCHOLAE MEDICORUM.

**FRIDERICUS PARROT**, D., a Consil. Aul., Ord. Medicorum h. t. Decanus, Physiologiae, Pathologiae et Semiotices P. P. O. 1) *Biologiam corporis humani* docebit, duce *Lenhossek* (Institut. Physiologiae Organismi humani, 1812), sexies p. hebd. hor. IX. 3) *Pathologiam et Semioticam generalem ad Conradi et Sprengelii* libros, quinquies p. hebd. hor. III.

**MARTINUS ERNESTUS STYX**, D., a Consil. Status, Diaetetics, Materiae medicae, Historiae medicinae et Litteraturae medicae P. P. O. 1) *Materiae medicae* partem alteram tradet, secundum Pharmacopoeam castrensem Ruthenicam, edit. tert. auct. a. c1808cxviii, sexies, dieb. Lun., Mart., Merc., Iov., Ven. et Saturni, hor. XII—I. 2) *Exercitationes formulas medicas conscribendi* instituet bis hor. XI—XII.

**CHRISTIANUS FRIDERICUS DEUTSCH**, D., a Consil. Status, artis obstetric. et morborum mulierum et infant. P. P. O. 1) *Artis obstetriciae* partem priorem docebit sec. *Sieboldi* librum, quinquies p. hebd., hor. VIII—IX. 2) *De diagnosi et cura morborum mulierum* disseret secundum *Ioergii* librum, quinquies p. hebd., hor. III—IV. 3) *Clinicum obstetricium* diriget hor. IX—X, quandocumque opportunitas dabitur, partusque ipsos in Instituto sese offerentes moderabitur.

**LUDOVICUS EMILIUS CICHORIUS**, D., a Consil. Aul., Anatomiae et Medicinae forensis P. P. O. 1) *Myologiam, Angiologiam, Neurologiam* tradet ducibus *Lodero, Mayero, Soemmeringo*, sexies p. hebd., hor. VIII—IX matut. 2) *De extis, organis sensuum, glandulis et partibus genitalibus corporis humani* disseret *Hildebrandtum* secuturus, sexies hor. IX—X. 3) *Anatomiae* cursum I. aperiet in usum *Alumnorum Caesareorum, Blumenbachii et Loderi* libris usus, sexies hor. III—IV.

**IOANNES CHRISTIANUS MOIER**, D., a Consil. Collegior., Chirurgiae et theoreticae et practicae P. P. O. 1) *Chirurgiae* partem priorem docebit, *Ebermaiero* duce, quinquies hor. XI—XII. 2) *De fasciis chirurgicis* disseret, duce *Starkio*, ter, hor. XII—I. 3) *De operationibus chirurgicis, Zangium* secuturus, ter, hor. XII—I. 4) *Clinicum chirurgicum* diriget quotidie, hor. IX—X.

**LUDOVICUS AUGUSTUS STRUVE**, D., a Consil. Aul., Therapiae et Clinices P. P. O., lectiones suas in valvis publicis indicabit.

**HERMANNUS KOEHLER**, D., privatim docens, 1) *Encyclopaediam et Methodologiam medicam*, duce *Conradio* docebit bis, dieb. Merc. et Saturni hor. IV—V. 2) *Anatomiam comparatam* secundum *Cari Zootomiam* ter, hor. IV—V. 3) *Celsi de medicina* opus explicabit ter, horis quas indicabit.

**IOSEPHUS GODOFREDUS ADOLPHUS WACHTER**, D., loco Prosectoris, *IO. FRID. ESCHSCHOLTZII*, Professoris P. E. O., qui cum venia impetrata peregre abest, Repetitorium in usum Alumnorum Caesareorum continuabit, *Anatomiae humanae* partem alteram duce *Mayero* expositurus dieb. Merc. et Saturn. hor. V—VI pom.

#### IV. SCHOLAE PHILOSOPHORUM.

**BASILIVS PEREWOSTSCHIKOV**, D., a Consil. Aul., Ord. S. Vladimiri IV. Class. Eques, Philosophorum Ordinis Classis I. et III. h. t. Decanus, Linguae et Litt. Russ. P. P. O. 1) *Litteraturae Russicae historiam* narrabit secundum opera scriptorum, simul Lexicon historicum scriptorum Russicorum ecclesiasticorum et *Novicovii* Lexicon scriptorum Russicorum adhibiturus, versiones etiam adiuncturus, quater p. hebd., dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. hor. IV—V. 2) Tironum in usum *Grammaticam Russicam* illustrabit, eosque vertendo exercebit iisdem diebus, hor. V—VI. 3) In Seminario Paedag. et Philol. linguae Russicae discendae docendaeque rationem monstrabit, die Sat. hor. IV—V.

**GODOFREDUS OSANN**, D., a Consil. Aul., Philosophorum Ordinis Class. II. et IV. h. t. Decanus, Chemiae et Pharmaciae P. P. O., *Chemiam* et theoreticam et experimentalem docebit sexies p. hebd. hor. X—XI.

**GEORGIUS FRIDERICUS PARROT**, D., a Consil. Status, Physices et theoreticae et applicatae P. P. O., Ordinis S. Vladimiri quartae Classis Eques, *Physices theoreticae* alteram partem, sexies p. hebd., hor. XI—XII, ad librum suum (*Grundriß der theoretischen Physik*) docebit.

**GOTTLOB BENIAMIN LAESCHE**, D., a Consil. Status, Philosophiae et theoreticae et practicae P. P. O. 1) *Logicam* enucleabit, ex *Kantii* libro, ter, hor. X—XI. 2) *Metaphysicam* duce *C. C. E. Schmidio*, quater, hor. XI—XII. 3) *Historiam Philosophiae antiquae* narrabit, duce *Tennemanno*, ter, hor. X—XI. 4) *Encyclopaediam universalem disciplinarum* tradet, ex libro suo, bis p. hebd., hor. XI—XII. 5) In Seminario Paedag. et Philol. *exercitationes didacticas* diriget semel p. hebd., hor. IV—V.

**CAROLUS MORGENSTERN**, D., a Consil. Status, Ordinis S. Vladimiri quartae Classis Eques, Eloquentiae, LL. Gr. et Lat., Aesthetices et Hist. Art. P. P. O. 1) *Antiquitates Romanas*, seu Historiam reipublicae, institutorum, religionum, morum vitaeque Romanorum veterum, enarrabit suum ordinem secuturus, adhibito tamen *Io. Leonh. Meyeri* libro, addita notitia critica librorum de quovis capite editorum, quinquies, hor. VIII—IX matut., dieb. Mart., Merc., Iov., Ven. et Sat. 2) *Platonis Politiae* librum octavum, nonum ac decimum et verborum et rerum explicatione illustrabit, ter p. hebd., dieb. Mart., Iov. et Ven. hor. IX—X. 3) Seminarii Paedag. et Philol. Sodales exercebit tum explanandis locis difficilioribus libri *V. Ciceronis de Finibus Bonor. et Malor.* et quibusdam *Theocriti Idylliis* interpretandis, tum *Latine scribendo ac disputando*, dieb. Merc. et Ven. hor. IV—V.

**IOANNES GUILIELMUS KRAUSE**, D., a Consil. Status et Ordinis S. Vladimiri Class. IV. Eques, Oeconomiae, Technologiae et Architecturae

civilis P. P. O. 1) *Elementorum rei rusticae partem priorem* exponet duce *Thaerio*, quater p. hebd., dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. hor. X—XI. 2) *Architecturae rusticae partem alteram* tradet ducibus *Wiebeking.* et *Eytelwein.*, quater p. hebd., dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. hor. III—IV. 3) *Exercitationes ichnographicas* formarum architectonicarum ad rem rusticam spectantium moderabitur, bis p. hebd. dieb. Merc. et Sat., hor. X—XII.

**FRIDERICUS EBERHARDUS RAMBACH**, D., a Consil. Status, disciplinarum quae pertinent ad rem cameralem, ad reditus et rem mercatoriam P. P. O. 1) *Oeconomiae politicae partem alteram*, duce *Iacobo*, quinque p. hebd. hor. ab VIII ad IX tradet. 2) *Examem criticum Systematum Oeconomiae politicae* instituet dictata sua sequenturus, ter p. hebd., hor. ab IX ad X. 3) *De vectigalibus, tributis, mutuo publico, et publicis sumptibus*, ter p. hebd., binis hor. a IX ad X, una a XII ad I disseret.

**GUSTAVUS EWERS**, D., Universitatis litt. h. t. Rector magnif., a Consil. Status, Ordinis S. Annae Classis II. Eques, doctrinarum statisticarum et geographicarum P. P. O. 1) *Historiam medii aevi* enarrabit suum ordinem secuturus, adhibito tamen passim *Rühsii* libro, quinque p. hebd., hor. IX. 2) *Conspectum status rerumpublicarum Europaearum* dabit, duce *Hasselio*, iisdem dieb., hor. X.

**CAROLUS FRIDERICUS LEDEBOUR**, D., a Consil. Status, quum Historiae naturalis universae, tum Botanices P. P. O. 1) *Botanicam* docebit ducibus *de Candolle* et *Sprengelio*, quinque p. hebd., hor. XII—I. 2) *Analysin plantarum* monstrabit die Saturni hor. XII. 3) *Excursiones botanicas* instituet die Saturni horis pomeridianis.

**FRIDERICUS GUILIELMUS CAROLUS DE ADERKAS**, a Consil. Aul., disciplinarum militarium P. P. O. 1) *Disciplinam tormentariam* exponet, sex p. hebd. hor., per dimidium tempus semestre; per alterum vero dimidium. 2) *Isagogen encyclopaedicam ad disciplinas militares addiscendas*. 3) *Castrorum muniendorum artem* docebit, quinque p. hebd.

**GUILIELMUS STRUVE**, D., a Consil. Aul., Astronomiae P. P. O. 1) *Trigonometriam utramque* docebit duce *Gerling.*, dieb. Lun. et Iov. hor. X—XI. 2) *Astronomiam sphaericam*, *Bohnenbergerum* secuturus, dieb. Mart. et Ven. hor. X—XI. 3) *Geodaesiam sublimiorem*, dieb. Merc. et Sat. hor. X—XI et d. Merc. hor. IV—V. 4) *Uranographiam* continuabit gratis, die Sat. hor. IV—V.

**MARTINUS BARTELS**, D., a Consil. Status, Matheseos et purae et applicatae P. P. O. 1) *Mathesin elementarem* tradet, *Arithmeticam* duce *Brandes.*, *Geometriam Blaschium* secuturus, sexies p. hebd., hor. VIII—IX. 2) *Algebram*, ad *L'huilieri* librum, quater, hor. IX—X. 3) *De sectionibus conicis* disseret duce *Gruson.*, bis hor. IX—X.

**MAURITIUS DE ENGELHARDT**, D., a Consil. Aul., quum Historiae naturalis universae, tum Mineralogiae P. P. O. 1) *Geographiam* docebit, dieb. Mart., Iov. et Ven. hor. XII—I. 2) *In fossilibus et definiendis et describendis* exercebit Auditores, quinque p. hebd., hor. IV—V.

**IOANNES VALENTINUS FRANCKE**, D., a Consil. Aul., Hist. litt., LL. Gr. et Lat. et Paedagog. P. P. O. 1) *Sophoclis Philocteten* interpretabitur quater p. hebd. dieb. Lun., Mart., Merc. et Iov. hor. III pomerid. 2) *Horatii Carmina* explicare incipiet iisd. dieb. hor. IV. 3) In Seminario Paedagogico et Philologico interpretandi materiam proponet Sodalibus *Terentii Andriam*, eorundemque Latine loquendi ac scribendi exercitationes moderari perget, dieb. Lun. et Iov. hor. V.

Cathedra Professoris ord. Historiae est vacua.

## V. LINGVAE HODIERNAE ET ARTES.

- I. Linguas recentiores docebunt Lectores publice constituti, et quidem ex legibus academicis binis quisque p. hebd. horis gratis: 1) *Russicam* **FRID. GE. BUNGE**, Classis X., qui *Syntaxin Russicam* ad dictata gratis docebit bis, horis quas indicabit. 2) *Francogallicam* **VALLET DES BARRES**, D., Consiliarii titulo ornatus, qui *Colloquia* bis habebit gratis diebus Lun. et Ven., hor. II, praeterea de *Litteratura Francogallica* disseret bis, horis indicandis. 3) *Germanicam* et *Italicam* **EDUARDUS RAUPACH**, Classis X., qui *Grammaticam Germanicam* exponet bis per hebd. gratis. Praeterea *Germanice scribendi arte* exercebit Auditores ter per hebd. Idem *Grammaticam Italicam* gratis docebit bis per hebd.; etiam *Tassonis Hierosolyma liberata* ter per hebd. explicabit. 4) *Anglicam* **Io. FRID. THOERNER**, Classis X., qui linguae Anglicae discendae praecepta dabit gratis dieb. Merc. et Sat. hor. III. 5) *Letticam* **BENJAMIN ROSENBERGER**, Gymnasii Dorpat. Director, dieb. Mart. et Iov. hor. X—XI. 6) Locus Lectoris linguae *Esthonicae* vacuus est.
- II. Artium itidem magistri publici binis quisque horis gratis operam suam Studiosis dicabunt. Nam in *Hippodromo academico* modos equitandi ostendet **IUSTUS DE DAUÉ**, Artis equestris magister, dieb. Mart. et Merc., h. VII—VIII. 2) *Arma tractandi* regulas dabit **ALEXANDER DUFOUR**, dieb. Lun. et Iov. hor. I—II. 3) *Saltandi artem* monstrabit **FELIX DE PELABON**, dieb. Mart. et Ven. hor. III—IV. 4) *Artem ichnographicam* et *chalcographicam* docebit **CAROLUS SENFF**, Professor extraord., publice die Sat. hor. II—IV, privatim dieb. Lun. et Iov. hor. II—IV. 5) *Artem musicam* **NICOLAUS THOMSON** bis horis indicandis. 6) *Operis mechanici* magistrum se offert **BENJAMIN POLITOUR**.

## VI. INSTITUTA PUBLICA.

In *Seminario Theologico* **R. HENZI**, h. t. Director, una cum Professore Theologiae practicae, **TH. E. LENZ**, exercitationes practicas supra memoratas instituet et moderabitur, quater per hebd.

In *Nosocomio academico* exercitationes clinicas diriget **L. A. STRUVE**; in *Instituto obstetricio* **C. F. DEUTSCH**; in *Instituto chirurgico* **I. C. MOIER**.

In *Seminario Paedagogico Philologico* scholas methodologicas et practicas supra memoratas habebunt Directores **C. MORGENSTERN**, **I. V. FRANCKE**, **G. B. LAESCHE** et **B. PEREWOSTSCHIKOV**, senis per hebd. horis.

*Bibliothecam academicam* aperiet dieb. Merc. et Sat., hor. II—IV, **CAR. MORGENSTERN**, Bibliothecae acad. Praefectus. Professoribus patet quotidie horis IX—XII et II—IV. Si quis peregrinator Bibliothecam visere cupiet, Praefectum adibit.

*Museum artis* qui cupiunt videre, Directori **C. MORGENSTERN** indicant; qui *Museum zoologicum*, Directori **C. F. LEDEBOUR**; qui *mineralogicum*, Directori **M. DE ENGELHARDT**.

*Apparatum Physices* desiderantibus ostendet Director **G. F. PARROT**, *apparatum Chemiae* Director, **GODOFR. OSANN**.

*Theatrum anatomicum* desiderantibus monstrabit Director **L. E. CICHORIUS**, *Collectionem pathologicam* Dir. **FR. PARROT**, *Collectionem instrumentorum obstetric.* Dir. **C. F. DEUTSCH**, *Collectionem instrumentorum chirurg.* Dir. **I. C. MOIER**.

*Collectionem formarum technologicarum et architectonicarum* exhibebit Dir. **I. G. KRAUSE**, *militarium* Dir. **F. G. C. DE ADERKAS**.

*Speculam astronomicam* monstrabit Dir. **G. STRUVE**, *Collectionem in usum Matheseos applicatae comparatam* Dir. **M. BARTELS**, *Collectionem scholae ichnographicae* Dir. **C. SENFF**, *Hortum botanicum* Dir. **C. F. LEDEBOUR**.